

6
28-E
29


6
27 L
52



IVRISCONSVLTORVM VITAE,

VETERVM QVIDEM, PER BERnardinum Rutilium, unà cum eiusdem Decuria.

RECENTIORVM VERO, AD nostra usque tempora, per Ioannem Fichardum Francofurtensem.



AD HAEC

Indices duo locupletissimi omnium scriptorum in Iure tam Pontificio quàm Ciuili à ueteribus & recentioribus Iureconsultis, ad hæc nostra usque tempora editorum:

Per Io. Neuizanum, Lud. Gomessium, & Io. Fichardum collecti.

BASILEAE.



NICOLAVS GERBELIVS PRAECLARO VIRO D. Chriſtophoro Vuelſinger, facundo & erudito Iuriſconſulto, amico ſuo peruetéri, S. D.





VVM NVPER EX ITAlia, eximia illa literarũ cultrice, ad nos rediiſſes, doctiſſime Chriſtophore, & me pro ſingulari tua in me pietate, cultu atq; obſeruantia, aliquoties domi meæ conueniſſes, cœpi (ut meus mos eſt) de rebus Italicis, de uiris illuſtribus qui nunc in Italia florent, deq; libris ueteribus à te plurima percontari. Ibi tu repetita in me perpetua illa neceſſitudine tua & fide, nihil eorum quæ cognita tibi fuere, occuluiſti: ab ouo uſq; ad poma, omnia diligentiſſimè cõmemorando. Inter quas iocundiſſimas confabulationes noſtras, tandem è manica libellum Rutilij depromebas, in quo ille ueterum Iuriſconſultorum uitas eleganter & ſumma cura conſcripſerat. Placuit impendio ſcripti genus, placuit argumentum. Cœpi orare atq; obteſtari te, uel in meam gratiam libellũ euolgari patereris. Morẽ geſſiſti quàm amantiſſimè, & rem omnem curę meæ commiſiſti. Itaq; lætus ego noſtris hominib. hoc eſt GERMANIS, munus hoc tuum ampliſſimum cõmune feci. Spero autem, atq; etiam confido, me rem ſtudioſis omnibus gratiſſimam feciſſe, quod uix aliud ſciam ſcribendi argumentũ, quod uel iucundius ſit, uel magis proſit. Quid enim per im



mortales deos abundantiorem uoluptatem adferre poteſt, quàm tot doctorum hominum fortunas, res geſtas, dicta atq; conſilia noſſe? Quid uero utilius, quàm ex aliorũ male actis, uitam et mores emendare noſtros? Nam admodũ præclarè dixit Plautus, feliciter illos ſapere, qui alieno periculo ſapiũt. Quod ſi ueterum Auctorum, qui uelut ex profeſſo præſtantium uirorum uitas memoriæ cõmendarunt, monumenta extarent: quantum theſaurum Chriſtophore, quas opes, quæ deniq; bona nos habituros putas? Eam ſanè rem in primis diligentiſſimè tractauit Hermippus, cuius liber de Magis, deq; alijs ſapientibus uiris, nemini non erat in manibus, uetuſto illo & uere docto ſeculo. Idem fecit Satyrus Peripateticus, ſed paulo diffuſius, adeò ut librum eius in Epitomen cõtraxerit Heracles. Taceo quæ Clearchus, Chryſippus, Dicæarchus, & horum omnium diligentiſſimus Heraclides, poſteritati reliquerunt. Vnum tantum adijciam Plutarchũ, miraculum Græciæ, & gentis illius ἄλφα. Non'ne peramplam laudem in Rhetorib. ſuis, & maiorem multo in Illuſtribus uiris conſecutus eſt? Quæ exemplaria uirtutum, quæ geſta, quæ inſignia trophæa orbi depinxit. Videturq; mihi ferè felicius ſcripſiſſe, quàm res tantas geſſerint illi. Horum exemplũ qui ſequuntur hodie, planè homines ſunt & digni certe quorum memoria nunquam intermoriatur. Rectè itaq; & Rutilius tuus, qui ueterum Iuriſconſultorum res præclare geſtas, tum etiam librorũ, quos homines ſapientiſſimi ſcripſere, nomina breuiter & accurate poſteritati commendauit. Non malo per Iouem cõſilio, ut Imperatoriarum legum ſtudioſi, in Iuſtiniano Codice, quem toties uoluũt, quemq; pro-

propè ediscunt, uideant, quorũ auctoritate, prudentia, atq; consilio tanti tum principes in cõdendis æquissimis atq; sanctissimis legibus sint usi. Neq; enim mediocrem habent gratiam, quæ scimus à summis atq; prudentibus uiris esse profecta. Velut è diuerso, flagitiosorum hominum etiam bene dicta, propter uitę turpitudinem sæpenumero & gratiam amittunt & auctoritatem. Illud profecto dolore maximo prosequendum, tot nobilium Iurisconsultorum uolumina prioris æui negligentia interijsse, quæ non solum Iuris, sed & aliarum doctrinarum studiosis usui esse potuissent. Fuere enim ex his pleriq; summi philosophi, summi Oratores: in nonnullis tam absoluta historiæ atq; omnis antiquitatis cognitio, ut non inuitus crediderim, ex his solis auctoribus uirum sapientem & ciuilibus rebus maxime idoneum formari potuisse. Itaq; mi Christophore, de tanto munere meritò tibi, studiosorum omnium nomine, amplissimas gratias ago: teq; nõ solum hortor, sed etiam abs te magnopere peto, ut & Diodori Siculi libri ab eodem Rutilio uersi, quando Græcum auctorem in hanc usq; diem habere nequiuimus (quanquam animus mihi meus præsagiat, etiã Græcos aliquot Diodori libros, aliquando Oporini mei, summi uiri beneficio, ad nos peruenturos) tua cura publicum sortiantur. In hunc modum de studiosis omnibus optimè promereberis, & laudem cõsequeris perpetuam. Vale, & me ut soles ama. Argentorati, pridie Idus Nouembr. Anno à Christo nato M. D. XXXVII.

IVRECONSVLTORVM VETERVM, à Bernardino Rutilio descriptorum Series.

Tertul

IVRECONSVLTORVM NEOPALAEOrum à Ioan. Fichardo descriptorum Series.

FINIS.

A

eius

Maximus

y Podagræ

Scæuo-

FINIS.

AMPLISS. CARDINALI NICOLAO Rodulpho, patrono suo opt. & beneficentiss. Bernardinus Rutilius

S. P. D.



Istoriam, cuius laudes à ueteribus multis expositas, ego prætereundas mihi esse existimaui, quadrifariam tractari solere non ignoras, aut enim potißimum seriem temporum sequimur, ut apud Græcos diligentißimè Thucydides, è nostris T. Liuius: aut locorum, ut Appianus: aut hominum, ut Suetonius & Plutarchus: aut actionum rerumq; gestarum formas similitudinesq; coniungimus, ut Latinorum unus, qui extet, Val. Maximus. Atq; hæc scribendi uarietas à naturæ uidelicet initijs proficiscitur: cuius æterna lege omnia, quæ agimus, quadripartita sunt. quidquid enim agitur, et loco, & tempore, et personis, et ipso agendi genere continetur. Earum autem scriptionum omnium illa, quæ uitijs atq; uirtutibus distinguitur, & proponendis exemplis non solum officij & facultatis, sed etiam copiæ ac frequentiæ, uno eodemq; loco abunde admonet, cæteris omnibus ad utilitatẽ (meo quidẽ iudicio) antecellit. Proxima est ea ratio, quæ certis hominibus adiungitur: propterea quod nemo ferè est, quin se ad alicuius unius exemplũ formare atq; instituere malit quàm ex uario et confuso ac dißito bonorũ malorumq; morũ quodã quasi seminario salubria et frugifera à perniciosis sterilibusq; excerpere. Inest tamẽ et reliquis duobus operibus suũ emolumentũ. Ac me interdũ in ea cogitatione uersantẽ atq; intentũ admiratio subit, quid sit quod cũ multi uitas principũ et ducum (quorũ nulla propè magna laus ferro uacat & sanguine) diligentißime conscripserint, atq; inde genus hoc scribendi profectũ, paulatim ad eos homines peruenerit, qui leniores quodammodo uirtutes profitentur, Philosophos dico, Medicos, Oratores, Poëtas (nam nostris, id est Christianis, diuinæ cuiusdam uirtutis hominibus, neminẽ comparandum puto) donec ad Rhetores ac Grammaticos deuentum est, nemo adhuc extiterit, qui si-

bi Legumlatorum & Iurisprudentum uitas in argumentum iusti et peculiaris operis desumpserit, cum præsertim unam omnium maximam, maximeq; necessariam humano generi uirtutem, iustitiam colant atq; pertractent, ut reliquarum artium ac disciplinarum paucæ cum hac cognitione cōferri, nulla præferri poßit. est enim tota prudentiæ: quam (ut tu præclare intelligis) Peripatetici omnibus scientijs reliquisq; animi uirtutibus, præter unam sapientiam, anteponūt, Iidemq; disputant, ciuili intelligentiæ cæteras subesse & parère omnes. Neque immerito fons ille et caput philosophorum Socrates, apud Xenophontem queritur et miratur, multos fuisse Athenis cerdonum, fabrum, equitum eruditores atque magistros: legum & tractandæ iustitiæ, quam regiam uirtutem appellat, nullos. Quod uitiū cum Romani ueteres, qui multa ipsi excogitauere, multa à Græcis accepta fecere meliora: tum nostra pauloq; superior ætas egregiè fugit. iuris enim consultos ac professores maximis præmijs atq; honoribus prosecuti sunt. Itaq; indignum et minime ferendum erat, ueterum Iuris peritorum memoriam in obscuro esse. præter enim Lycurgum, Solonem, & Numam, uix ullum habemus satis cognitum, & singulari argumento tractatum latorem legum aut interpretem. Romanos aliquot, neque tamen plurimos, quidam nostri homines strictim attigere, atque ita strictim, ut nihil penè nisi operum eorum nomina collegerint. unde nihil admodum, aut qui fuerint scire, aut exempli tibi uel ad cauendum uel ad imitandū capere poßis: qui fructus præcipue esse historiæ debet, cum præsertim eiusmodi uiri extiterint, qui apud Ro. Iuris prudentiam profeßi sunt, ut non modò nulla literarum studia omiserint, quæ quidem eßent personæ & dignitatis, uerum etiam officio fortis & boni ciuis atque imperatoris, dum stetit Respub. abunde satis fecerint. Vtinamq; extaret Cincius, qui libros aliquot de officio Iurisconsulti fertur scripsisse: ut intelligerent qui nunc isti disciplinæ paßim uacant, quàm magnū munus, & quanti quamq; absoluti ciuis sustineant. Quod quia frustra desiderabamus, idemq; alia ratione consequi licebat, nos pro præceptis exempla posuimus, Omnes enim Romani Iuris interpretes

tes hoc opere diximus: & quidem quàm plenißimè ea res scribi potuit, sine tamen digreßionibus, à quibus magnopere abhorremus. Argumentum immensi atque abditi operis, ut quod supra bis millesimum repetatur annum, & ab infinitis propè autoribus, ijsq; intercisis & mancis (illi enim perpetui & quasi ordinarij, magna ex parte perierant) colligendum fuerit: ut mihi uidear posse non arroganter dicere, Aesculapiũ illum, qui est in fabulis, discerptum in frusta Hippolytum, compactis membris uitæ restituisse, toties me esse imitatum, quot hominum uitas (sunt autem ad centum) confecerim. In quibus si cui forte uidebor ueterum autorum uerbis nimium inhæsisse, eaq; interdum penè transcripsisse omnia, is sic habeto, maiorem à me ueritatis (quæ sæpe mutandis uerbis amittitur) habitam esse rationem, quàm eloquentiæ. etsi tantum mihi non sumo, ut putem eadem omnia à me potuisse dici facundius aut ornatius, quàm sint ab antiquis scriptoribus exposita. Illud quidem certe cauimus (quod ego soleo inter præcipuas corruptæ eloquentiæ causas ponere) ne studio loquendi nouiter, antiquorum sententias, splendide ac proprie & optimis uerbis expositas, mutarem in deterius: maluiq; imitator dici, quàm deprauator. Erant enim dicenda eadem, & si nollem eodem modo. Deniq;, si mihi elocutionis gloria detrahatur (quanquam multa mihi uideor quorundam dixisse melius) facile patiar, & illa inuentarum rerum, aut (si id quoq; adimant) collocationis compositionisq; una laude contentus ero: ac ne eam quidem ipsam magnopere exigam. Fuit enim illud mihi hoc labore propositũ, quod omnibus esse scriptoribus debet, non mihi comparandi nominis, sed si quid possem, uitæ in uniuersum consulendi. Quo etiam effectum est, ut si quid incidit quod parum uerè ab alijs scriptum uideretur, nec nostrorum hominum nec ueterum autorum nominibus pepercerim, non sugillandi gratia, sed ut sic tracta in controuersiã ueritas clarius elucesceret. Quod exemplũ si in me recidat, æquißimo animo laturus sum, modò citra amarulentiam atque acerbitatem fiat, & ueri, non contentionis studio. Homines enim sumus, credoq; mecum certaturos posteros, ut & nos fecimus cum prioribus.

bus. Quod eo liberius apud te loquor, Patrone opt. quod te huius animi mei testem laudatoremq́; habeo: tuoq́; hoc iudicio & testimonio tutus, omnium obtrectatorum linguas facile contemnam. es enim mihi unus, ut Ciceroni quondam Cato, pro centum millibus, uel potius, ut Plato Antimacho, pro omnibus. Vtinamq́; tibi tot (ut ita dixerim) uiuas uitas, quot scriptas, darem, neque enim paucioribus es dignus. Vale sæculi decus. Romæ ex ædibus tuis, Id. Apr. M. D. XXXVI.

PETRVS CVRSIVS.

Quot ueterum iure insignes tegit Italia tellus,
Tot Rutili in lucem docta Minerua refert.
Horum clara licet iam facta aboleuerit ætas,
Et sua cum fastis nomina polluerit.
Et mirere, uni Hippolyto si reddita quondam,
Mille simul si nunc reddita uiua uiris.

IDEM.

Vt mors Rutilium sensit tot reddere uitæ,
Styx uale, ait, uitæ iam patefacta uia est.

BARTHOLOMEVS CROTVS.

Exciri ut legum latores sensit ab Orco
Inuida mors, fusis protulit hæc lachrymis,
Quàm uere eiusdem est inferre, auferreq́; leges,
Lege horum cum lex pene refixa mea est.


IANVS VITALIS.

Viuitur in chartis, Rutili felicius ipsis,
Cum uideant mortem marmora & æra suam.
Absumpsit priscos legum Libitina peritos,
Tu facis in scriptis uiuere & esse tuis.
Quàm merito illi igitur dicent, æternior ære
Est tua, & æternis pagina marmoribus.



IVRIS CONSVLTORVM VITAE PER BERNARDINVM RVTILIVM.

PAPIRIVS MAIOR.



APIRIVS, *siue ut tum loquebantur, Papisius, inter Ro. Iuris peritos principem locũ obtinuit. licet, si iuris ipsos conditores recenseas, Numa Pomp. cæteriq; Reges ante ciuitatẽ legibus instruxerint. Eum Pōponius modo Sex. modo Publ. Dionysius nunc Caiũ, nũc Maniũ, uel (ut est in Græco Vaticano codice) Mamiũ Papiriũ appellãt. Aeque Pōt. Max. ne, an Rex Sacrificulus fuerit, in incerto est. Nã Dionysius antiquitatũ autor diligentissimus, eundẽ Papiriũ alibi Pont. alibi Regem Sacrificulum nominat. Etenim cum, eiectione Regum mutato statu ciuitatis, rerum diuinarum cura haberetur, seu quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset: siue ut nomen Regum, qui profuisse plurimum Reip. uidebantur, in perpetuum seruaretur (nam utrunq; traditur) iussi Pontifices atq; Augures ex senioribus aptissimum unum deligere, qui nullius rei præterquã diuini cultus potestatem haberet, ab omni alio ciuili bellicoq; munere liber, Regis Sacrificuli titulo, ita ut id sacerdotium Pontifici subijceretur, ne additus nomini honos aliquid libertati (cuius tũc prima erat cura) officeret. Ii ergo Mamium Papirium gente iam tum patricia, uirum honesto ocio ac quieti deditũ, primum Regem sacrificiorum creauere. Is quocunq; prænomine, quocunq; sacerdotio præditus (certe Papiriæ*

gentis fuisse constat, quamuis frustra apud Dionysium Glareanus ambigat, & de immutanda lectione deliberet) in primis peritus iuris, leges omnes Regias in unum contulit. Nam cum antea Ancus Martius Rex Ro. leges sacras, à Numa latas, in desuetudinem iam abeuntes, reduxisset in ciuitatem, easq; ex commentarijs Pontificum exscriptas, in foro, tabulis quernis sculptas proposuisset, eiectis inde Regibus, Papirius hic sacras omnes prophanasq; leges à Regibus latas, in usum publicum deduxit, conscripto codice, quem postea Ius Ciuile Papirianum appellarunt: non quod ibi quicquam de suo Papirius adiecerit, sed quod leges uarijs temporibus latas, & sine ordine apud Pontificũ commentaria delitescentes, in unum corpus compositas inuulgauerit. Eæ paulopost, cũ XII. Tabulæ ferrentur, tributa lege abrogatæ sunt. Vrbe inde à Gallis Senonibus capta atq; incensa, simul cum cæteris ex illo incendio conquisitæ, & in uulgus editæ, nisi si quæ ad sacra pertinerent. Illæ enim à Pontificibus, maxime ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressæ. Liber uero ipse Papirij, uel ætate Pomponij Iureconsulti, extabat. Vixit Papirius Tarquinio Superbo regnante, & sub initia libertatis Ro. Quo fit, ut alium omnino hunc esse existimem ab illis: Papirio prætextato, (quem quidam Cursoris filium faciunt:) & L. Papirio, qui pocillum mulsi, uel (ut Plinio placet) uini Ioui uouit: (fuit enim id Cursoris uotũ) et Cn. Papirio cũ dentibus nato, quamuis aliter Zasio contra temporum fidem atq; ordinem placuerit. Duæ etenim Papiriorum familiæ, patricia una minorũ gentium, altera plebeia Romæ fuerunt. Patricia uarijs cognominibus clarissimos edidit uiros, Mugilanos, Crassos, Cursores, Massones: in quibus Cursorem illum, quem Alexandro Magno bellicis atq; imperatorijs artibus anteponere Liuius non dubitat. Plebei minori gloria, nec sane utiles Reip. Carbones, Turdi, Pæti, extiterunt. Vt Cicero quoq; non satis diligenter fecerit, quod primum patriciæ Papiriorum familiæ numerauerit L. Papirium Mugilanum Censorium.

Ius Ciuile Papirianum.

Papirij plures.

APPIVS CLAVDIVS DECEMVIR.

E Claudiorũ patritia gente duo inter cõsultos iuris censentur, Appius scilicet Claudius Decemuir, quem quidã Regillanũ uocant: & is,

& is, qui Cæcus & erat & uocabatur. Ea familia Sabina origine fuit, ab eo propagata, qui Clausus apud suos dictus. Cum ea gens bellũ in Romanos moliretur, ipse pacis autor à turbatoribus pressus, nec factioni par, abs Regillo oppido, magna clientium comitatus manu, Romam sexto ferè post exactos Reges anno transfugit. Huius ex filio, Appio Consulari, homine acri, & plebi infesto, Nepos Appius hic iuris peritus, familiæ gloriam afflixit magis quàm honestauit. Patri tamẽ ad populum reo, ante iudicij diem seu morbo, seu sua manu extincto, pietatem egregiè præstitit. Allato enim in forum cadauere, aditis Consulibus ac Tribunis, postulauit, ut sibi de more laudare defunctum patrem pro concione liceret. Vocato à Consulibus ad concionem populo, cum Tribuni collaudationem impedire conarentur, denunciarentq; adolescenti, ut mortuum de medio tolleret atq; auferret, plebs fraudari solenni honore supremum diem tanti uiri noluit: & laudationem tam æquis auribus mortui audiuit, q̃ uiui accusationem audiuerat: et exequias frequens celebrauit. Extabãt et alia, uarijs temporibus in Remp. collata ab Appio officia. Cæterum post aliquot annos, cum propter intestinas discordias, quod patres ferre plebiscita indignarentur, plebei se nimium premi patrum decretis fremerent, placuisset Populo Ro. leges à Græcis peti ciuitatibus, eæq; per legatos Ro. allatæ essent, intentè instabant Tribuni plebis, ut tandem scribendarum legũ initium fieret. Consules, ubi aliquandiu uarijs calumnijs rem inuisam patribus extraxere, tandem ut in alios transferrent onus, comitia ante diem indicunt, successuros sibi ad legitimum tempus consules creant Appium Claudium, T. Genutium. Ac cum nihilo æquiore animo diẽ solennẽ ineundis magistratibus plebes expectaret, Tribuni ad designatos, præcipue Appium confugiunt, modo in concionibus, modo semotis orant arbitris, ut plebi consulant. addunt spem precibus, honores atq; ingentes à plebe opes pollicendo: donec peruincunt, ut legum conscriptio repræsentetur. Cœperat Appiũ cupido extraordinarij magistratus, quo leges patriæ daret: futuras ciuilis concordiæ ac pacis, iam pridem inter ordines labefactatæ, perpetuum stabilimentum. præclaro medius fidius consilio, si non mox potestatis magnitudine nimiũ delectatus, animum ad tyrannidem conuertisset. Igitur, adducto in suam sententiam

collega, uocatus sæpe in concionem à tribunis, aliquando processit, multisq; uerbis humaniter disseruit: uehementer placere sibi, atq; item Collegæ, ferri leges, quæ omnem æqui boniq; contentionem dirimerent. idq; se sententiæ loco dicere, si potestatem inito magistratu habeant, creaturos latores fore: quando de legibus conueniat, de latore non esse diutius discrepandum, seu de patrum, seu de plebis corpore placeat. Quin agite (inquit) Consules, comitia creandis latoribus legum indicite, me ac collega (ut pro eo etiam spondeam) non modo non aduersantibus, quin ex patrum sententia eligantur, sed adiuturis etiam, gratiamq; insuper habituris singularem. Quod si propter designatos nos, nouum alium inducere consulari potestate in Remp. magistratum ueremini, nihil impedimento sumus, sufficiendis in locum nostrum honore cedimus, modo id senatus probet. Collaudante Appij orationem uniuersa concione, uictus studio plebis Sextius Consul, solus, quando morbus collegam domi detinebat, Senatum uocat, de legibus ferendis refert. Dictis compluribus in utranq; partem sententijs, alij peregrinas respuebant leges, ac manendum patrijs institutis censebant: alijs tolli discordiarum causas placebat. Vicit tandem Appij sententia, quam primus rogatus dixerat, assentiente collega. Placet creari Decemuiros, sine prouocatione, qui confestim magistratum ineant, & ne quis eo anno alius magistratus esset: utq; ij, ex patrijs institutis Græcisq; legibus optima quæq; deligentes, interpretãtesq;, Reip. futura commodo iura conderent ac dirigerent. Ea ita rata sanctaq; futuris iudicibus & magistratibus fore, si Senatus probasset, iußissetq; Populus. Admiscerentur'ne plebei, controuersia aliquandiu fuit. Postremo concessum patribus, modo ne lex Acilia de Auentino, aliæq; sacratæ leges abrogarentur. Perlecto in uulgus decreto, Tribuni effusi in Senatus atq; Appij laudes, comitia indicũt. Ibi designati Consules magistratu sese abdicant. Ea adeò grata plebi moderatio fuit, ut legendis primoribus præcipua sit Appij collegæq; ratio habita. Creatis primis octo, additi nobilißimi collegæ. Ita post trecentesimum alterum conditæ urbis annum, nouus in Remp. magistratus inductus. Eius totius regimen penes Appium erat, fauore plebis: adeoq; nouum sibi ingenium induerat, ut plebicola repente, omnisq; auræ popularis captator euaderet, pro

Decemuiri creati.

ret,pro

ret. pro truci ſæuoq; inſectatore plebis. Ii cum decem Tabulas legum confeciſſent, eæq; apud populum ſancitæ eſſent, uulgatur rumor autoribus (ut quidam ferunt) ipſis Decemuiris, duas deeſſe tabulas, quibus adiectis abſolui poſſe uelut corpus omnis Ro. iuris. Ea expectatio, cum dies comitiorum appropinquaret, deſiderium Decemuiros iterum creandi fecit. In maxima ſummorum hominum contentione, Appius quoque, cum diu diſsimulaſſet ad excitandum plebis ſtudium, dimiſſa iam in diſcrimen dignitate, ea ætate, his honoribus actis ſtimulatus, in ſequentem annum eandem quam gerebat poteſtatem petit, tanta ambitione, ut neſcires, utrum inter Decemuiros, an inter candidatos numerares. proprior interdum petendo, quàm gerendo magiſtratui erat. criminari optimates extollere candidatorum leuiſsimum quenq;, humillimumq;: ipſe medius inter tribunitios Duellios Iciliosq; in foro uolitare, per illos ſe plebi uenditare. donec collegæ quoq; qui unice illi dediti fuerant ad id tempus, coniecere in eum oculos, mirãtes quid ſibi uellet, apparere nihil ſynceri eſſe, profecto haud gratuitam in tanta ſuperbia comitatem fore: nimium in ordinem ſeipſum cogere, & uulgari cum priuatis, non tam properantis abire magiſtratu, quàm uiã ad continuandum magiſtratum quærentis eſſe. Propalam obuiam ire cupiditati parum auſi, obſecundando mollire impetum aggrediuntur. comitiorũ illi habendorum, quando minimus natu ſit, munus conſenſu iniungũt. Ars ea hæc erat, ne ſemetipſe creare poſſet, quod præter tribunos plebis, & idipſum peſsimo exemplo. nemo unquam feciſſet. Ille enimuero, quod bene uertat, habiturum ſe comitia profeſſus, impedimentum pro occaſione arripuit. Deiectisq; honore per coitionẽ duobus Quintijs, Capitolino & Cincinnato, & patruo ſuo C. Claudio, conſtantiſsimo uiro in optimatium cauſa, & alijs eiuſdem faſtigij ciuibus, nequaquam ſplendore uitæ pares, obſtrictos ſibi Decemuiros creat, ſe in primis. quod haud ſecus factum improbabant boni, quàm nemo facere auſurum crediderat. Creati cum eo M. Cornelius Maluginenſis, M Sergius, L. Minutius, Q. Fabius Vibulanus, T. Antonius Merenda, M. Rabuleius. Additi, ut quidam autores ſunt, plebei tres, Q. Petilius, Ceſo Duillius. Sp. Oppius Cornicem: dicente Appio, cum unus ille magiſtratus omnium autoritatem teneret, haud excludendam honore

Legum X. Tabulæ.

plebem,& si contrà Senatus decreuisset. Ille finis Appio alienæ personæ ferendæ fuit. Suo iam inde uiuere ingenio cœpit, nouosq; collegas iam prius, quàm iniret magistratum, in suos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris: inde impotentibus instructi consilijs, quæ secretò ab alijs coquebant, iam haud dissimulando superbiam, rari aditu, colloquentibus difficiles, ad idus Maias rem perduxere. Idus tum Martiæ solennes ineundis magistratibus erant. Inde in plebẽ, summo omnium consensu, fauentibus nobilibus, adolescentibus maxime, sæuitum est. auctæ secures, aucti fasces. Cumq; iam maior pars anni processisset, & duæ tabulæ prioribus decem adiectæ essent, nulla tamen seu perferendarum tabularum, seu magistratuum creandorum gratia, mentio comitiorum fiebat. Iamq; res spectare ad tyrannidem uidebatur. & Idus Maiæ uenerant, nullis subrogatis magistratibus. Priuati pro decemuiris, neq; animis ad imperium inhibendum imminutis, neq; ad speciem honoris insignibus prodeunt. Id uero regnum haud dubie uideri, deploratur in perpetuum libertas. Externi etiam hostes, spem uictoriæ in discordia Ro. collocantes, arma mouent. Tandem, coacto belli gratia post longam intermissionem Senatu, cum Appius caput malorum omnium & collegij, longa atq; accurata oratione retulisset, ad extremumq; censuisset haberi delectum, copiasq; ad urgens bellũ ex templo educi, ferunt L. Valerium Potitum, prius quàm ordine sententiæ rogarentur, quasi in Appium dicturum surrexisse. Tum Appius, quod futurum erat, suspicatus, transeunti: Non est, inquit, locus dicendi tuus Valeri. ubi rogãdis ordine sententijs uentũ ad te erit, post eos, qui maiore ætate, maiore magistratu usi sunt, dices. Cumq; ille nihilo minus postularet, ut de Rep. liceret dicere, prohibentibus minaciter Decemuiris, proditurum se ad plebem denuncians, tumultum exciuit. M. deinde Oratius Barbatus, atq; alij quidam, atroces liberasq; sententias dicunt, in Appium præcipue inuecti. Donec ille iritatum Senatum ueritus, impetrato precibus silentio: Neminem, inquit, uestrum P. C. fraudamus dicendi potestate, si dicturi ordine estis: sed intempestiuos hosce atque importunos cohercemus. Neque est, quamobrem succenseatis. Erit Valerio, erit Oratio, ac deinceps alijs suus dicendi locus: tantum ex ueteri instituto ordine rogati, ad id quod in præsentia refertur, de

XII. Tabulæ.

L. Valer. Potitus.

M. Oratius Barbatus.

refertur, de bello dicant. quod si seditionem uagando ferant, intelliges profecto M. Orati, nobis à populo Consularem Tribunitiamq; potestatem datas. Necdum magistratus tempus excessit. Creati ad perscribendas leges sine certo die sumus, perlatis legibus magistratu abibimus, eiusq; ratio exigenti dabitur. Antè, Cõsularem Tribunitiamq; potestatem neque minuere, neque decedere de iure nostro ac maiestate, in animo est. Dicite per honorum atque ætatis gradus de bello sententias, & qua potissimum ratione hostibus obsisti possit. Ac patruũ primũ appellãs: Dic, inquit, C. Claudi. Hic Claudius, qui sæpe cũ Appio domum uentitans, exclusus per eius filios aditu, monere illum officij intra priuatos parietes nunquam potuerat, de belli primum caussis, de uastitate urbis ac solitudine disseruit. Ad Appium inde conuersus, orationem habuit precibus quàm iurgio similiorem. Claudij oratio. Orabat Appium per sui fratris parentisq; eius manes, ut ciuilis potius societatis, in qua natus esset, quàm fœderis nefarie icti cum collegis meminisset. Multo id magis se illius causa orare, quàm Reip. quippe Remp. si à uolentibus nequeat, ab inuitis ius expetituram. Sed ex magno certamine magnas excitari fermè iras: earum euentum se horrere. Cum aliud, præterquam de quo retulissent, Decemuiri dicere prohiberent, Claudium interpellandi uerecundia fuit. Sententiam igitur peregit, nullum placere senatus consultum fieri. Omnesq; ita accipiebant, priuatos eos à Claudio iudicatos, multiq; ex Consularibus uerbo assentiti sunt. Aliæ inde à Consularibus dictæ sententiæ. quorum L. Cornelius Maluginensis, M. Cornelij decemuiri frater, censuit: peracto demum bello, reddi ab Appio rationem oportere, utrum in annum Decemuiros creasset comitijs suis: an donec leges, quæ deerant, perferrentur. Cæterum Valerio atq; Oratio Senatoribus uociferantibus, antequã de bello referretur, liberari Rempu. oportere, aliaq; in eam sententiam inuidiosissime disserentibus, Appius iam propè efferatus, ut, ni uiolentiæ eorum pari resisteretur audacia, uictum imperium esset: Erit melius, inquit, nisi de quo consulimus, uocem non misisse. & ad Valerium, negantem se priuato reticere, lictorem accedere iussit. Iam Quiritium fidem implorante Valerio, à Curiæ

limine, L. Cornelius complexus Appium, non (quod simulabat) consulendo, diremit certamen. Ibi tum infit Appius: De bello Aequo ac Sabino uocati in Senatum, P.C. omnes supremi atq; infimi ordine rogati sententias dixistis. Tres pronunciatæ sunt, Claudij, Cornelij, Valerij. Plurimi Cornelio palàm assensistis. Itaq; eius sententiam uicisse pronuncio, eam mox scriptam audietis. Valerius, quiq; ei assentiuntur, ubi consulatum gerent, dijudicatam rem, ac uobis omnibus probatam, si ita uidebitur, irritam facient, & ad disquisitionem reuocabunt. Scribā inde legere scriptam autoritatem iubet, qua delectum haberi, belliq; imperium penes Decemuiros esse iubebatur. Ita, cum libertas non ultra uocem excessisset, Decemuiri propositum tenuere. Dimisso Senatu, ac legionibus scriptis, inter se comparant, quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret. Principes erant inter Decemuiros, Q. Fabius, & Appius Claudius. Bellum domi maius quàm foris apparebat. Appij uiolentiam aptiorem rati, ad comprimendos urbanos motus. itaq; cæteris ad bellum exeuntibus, Appius cum Sp. Oppio adiutore, æquo omnium Decemuirorum imperio, ad urbem ac tyrannidē

Siccij cædes.

tuendam relinquitur. Rei foris cum hostibus male gestæ, cædes Siccij clari militis, iussu Decemuirorum addita, cum non desisterent Appius Spuriusq; monere collegas arcanis nuncijs, ut quæsitis causis, aduersæ factionis illustres clam, palàm obscuros, de medio tollerent. Arma interim, pecuniæ, commeatus, cæteraq; opportuna omnia ad exercitus summitti, publicis simul priuatisq; bonis impotenter ablatis, succenturiatisq; ex omni tribu atq; ætate, quæ ferre modo arma posset, in cæsorum locum. percommoda urbis loca occupari: diligentissime animaduerti, ne quid moliri factio Valerij atq; Oratij, quæ domi creuerat, posset. ac nihilo scelesta minus in urbe, quàm in castris facinora edi. Post

App. Claudij in Virginiā libido.

cædes, Appium Claudium plebeiæ uirginis stuprandæ libido cœpit. Pater eius L. Virginius honestum ordinem in Algido, ubi tum erat bellum, ducebat, uir exempli recti, domi militiæq;: perinde uxor instituta fuerat, liberiq; instituebātur. Despōderat filiam L. Icilio, uiro acri, & pro causa plebis expertæ uirtutis. Hāc uirginem adultam, forma excellentem conspicatus in ludo literario Appius, amore ardens, cum uxorem ducere alij desponsam, sibi marito, plebeiam patricio neq; liceret, neq; liberet,

neq; liberet, precio ac spe per internuncias ad nutricem femellas, cælato nomine, iactandis modo opibus, pellicere adortus: postquam omnia pudore septa, & maiorem adhibitam puellæ custodiam animaduertit, ad crudelem superbamq; uim animum conuertit. M. *(alij* C. *uocant) Claudio clienti, modum edocto, negotium dedit, ut uirginem in seruitutem assereret, neq; cederet secundum libertatem postulantibus uindicias: quod pater puellæ abesset, fore locum iniuriæ ratus.* Virgini *uenienti in forum (ibi nanq; in tabernis ludi literarum erant) minister* Decemuiri *libidinis, ingenti similium sui, confidentium scilicet, & ad omne paratorũ facinus, comitatus globo, manũ iniecit, serua sua natã seruamq; appellans, sequiq; se iubebat, cunctantem ui abstracturum. Alij iam ludum ingressam, ui abreptam tradunt. Pauida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis, fit concursus:* Virginij *patris, sponsiq; Icilij populare nomen celebratur: notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirgini conciliat. Iam à ui tuta erat, cum assertor nihil opus esse multitudine concitata ait: se iure grassari, non ui. Vocat puellam in ius. Autoribus, qui aderant, ut sequeretur, ad tribunal Appij, ius tum sine collega dicentis, conquirentisq; pecuniam peruentum est. Hic alij ferunt, cum iam abduceretur à Claudio* Virginia, *concursu alienæ turbæ exortum clamorem ac fremitum, postulantium expectari propinquos uirginis. Id cum decreuisset* Appius, *affuisse breui auunculum puellæ (auum hunc alij fuisse scribunt)* Numitorium, *frequenti amicorum necessariorumq; stipatum manu, clarũ ipsum inter plebeios: neq; multo pòst sponsum Iciliũ, magna & ipsum plebeiæ iuuentutis caterua cinctũ. Hunc, ubi ad tribunal penè exanimatus uenerit, elata uoce iussisse, quis uirginẽ ingenuã attrectare esset ausus, quidq; sibi is uellet, effari. Cæterum, ubi discrepat, nos* Liuij *seriem sequimur. Igitur silentio facto, ante propinquorum aduentum, notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum autorem argumenti peragit, puellam domi suæ serua natam, furtoq; inde in domum* Virginij *translatam, suppositam ei per uxorem esse. id se nouo indicio compertum afferre, probaturumq; uel ipso* Virginio *iudice, ad quem maior pars iniuriæ eius pertineat: interim dominum sequi ancillam æquum esse. Vades daturum se sistendæ quandocunq; uirginis, seu repræsen-*

tari iudiciũ placeat, causam tum dicturum. Addit preces plurimas, ne, quod cliens Decemuiri, *quodq; humili loco sit, eo minus suum ius contra potentiores aduersarios teneat. Aduocati puellæ (aut secundum priorem sententiam* Numitorius) *cũ* Virginium Reip. *causa dixissent abesse, biduo affuturum, si nunciatum ei sit, iniquum esse absentem de liberis dimicare: postulant, ut rem integram in patris aduentum differat, lege ab ipso lata uindicias det secundum libertatem: neu patiatur uirginem adultam famæ prius, quàm libertatis periculum adire. Appius decreto præfatus, quàm libertati fauerit, eam ipsam legem declarare, quam Virginij amici postulationi suæ prætendant: cæterum ita in ea firmum libertati fore præsidium, si nec causis, nec personis uariet. in his enim qui asserantur in libertatem, quia quiuis lege agere possit, id iuris esse: in ea quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. Placere itaq;, patrem accersiri. Interea iuris sui iacturam assertorem non facere, quin ducat puellam, sistendamq; in aduentum eius, qui pater dicatur, promittat. eius se rei, et ut ex æquo disceptetur, curam habiturum. Aduersus iniuriã decreti cum multi magis fremerent, quàm quisquam unus recusare auderet,* P. Numitorius *& sponsus Icilius interueniunt: datáque inter turbam uia, cum multitudo Icilij maxime interuentu resisti posse* Appio *crederet, lictor decresse ait, uociferantemq; Icilium summouet. Placidum quoq; ingenium tam atrox iniuria accendisset. Ferro hinc tibi summouendus sum* Appi, *inquit, ut tacitum feras, quod cælari uis. Virginem ego hanc sum ducturus, nuptamq; pudicam habiturus. Proinde quoq; omnes collegarum lictores conuocans, expediri uirgas et secures iube. non manebit extra domum patris sponsa Icilij. non, si tribunitium auxilium, & prouocationem plebi Romanæ, duas arces libertatis tuendæ, ademistis, ideo in liberos quoq; nostros, coniugesq; regnum uestræ libidini datum est. Sæuite in tergum & in ceruices nostras, pudicitia saltem in tuto sit. Huic si uis afferetur, ego præsentium* Quiritiũ *pro sponsa,* Virginius *militum pro unica filia, omnes deorum hominumq; implorabimus fidem, neq; tu istud unquam decretũ sine cæde nostra referes. Postulo* Appi, *etiam atq; etiam consideres, quò progrediare. Virginius uiderit, de filia,, ubi uenerit, quid agat. hoc tantum sciat, sibi, si huius uin*

dicijs

dicijs cesserit, conditionem filiæ quærendam esse. me uindicantē sponsam in libertatem, uita citius deseret, q̃ fides. Concitata multitudo *erat, calumniator* Claudius *ad pedes* Appij *trepidus refugerat, certamenq́; instare uidebatur: lictores* Icilium *circunsteterant, nec ultra minas tamen processum est.* Appius *primum plebis rabiem ueritus, consilij inops obstupuerat.* Claudio *deinde ad tribunal uocato, & cum eo pauca summissim collocutus, indicto silentio, conuersus ad turbam: non* Virginiam *defendi ab* Icilio, *sed inquietum hominem, & tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quærere, inquit. non præbiturum se illi eo die materiam: sed ut iam sciret, nō id petulantiæ suæ, sed* Virginio *absenti & patrio nomini & libertati datum, ius eo die se non dicturum, neq; decretum interpositurum. à* Claudio *petisse, ut decederet de iure suo, uindicariq; puellam in posterum diem pateretur. quod nisi pater postero die affuisset, denunciare se* Icilio, *similibusq́;* Icilij, *neq; legi suæ latorem, neq;* Decemuiro *constantiam defore, nec se utiq; collegarum lictores conuocaturum ad coercendos seditionis autores, cōtentum se suis lictoribus fore. Longiorem dilationem postulantibus puellæ defensoribus, nihil respondit. Cum dilatum tempus iniuriæ esset, secessissentq́; aduocati puellæ, placuit omnium primum fratrem* Icilij *filiumq;* Numitorij, *impigros iuuenes, pergere inde rectà ad portam: &, quantum accelerari posset,* Virginium *acciri è castris, in eo uerti puellæ salutem, si postero die uindex iniuriæ ad tempus præsto esset. Iussi pergunt, citatisq; equis nuncium ad patrem perferunt. Cum instaret assertor puellæ, ut uindicaret, sponsoresq; daret, atq; id ipsum agi diceret* Icilius, *sedulo tempus terens, dum præriperent iter nuncij missi in castra, manus tollere undiq; multitudo, et se quisq; paratum ad spondendum* Icilio *ostendere. Atq; ille lachrymabundus: Gratum est, inquit, crastina die uestra opera utar, sponsorum nunc satis est. Ita uindicatur* Virginia, *spondentibus propinquis.* Appius, *ut alij tradunt, è uestigio: ut alij, paulisper moratus, ne eius rei causa sedisse uideretur, postquam omissis rebus alijs præ cura unius, nemo eum adibat, sublata sella, domum se tristis atque inflammatus cupidine recipit: ibi anceps rem animo uolutat, quo pacto productam postridie uirginem, si uadetur, ui atque armis abducat, ma-*

iori adhibita custodia, occupatisq; circa tribunal armatorum clientum caterua locis, si forte ui atq; manu resistatur. Quod ut honestius, absente uirginis patre, efficiat, ne is clam, re cognita, sese è uallo proripiat, collegis in castra scribit, ne Virginio commeatum dent, atq; etiam in custodia habeant. Et, nequid ad intercipiendum hominem deesset, ex urbe emissi alij, ferentem ab exercitu uiam insident. Improbum cõsilium, serum ac uanum, ut debuit, fuit. & iam commeatu sumpto profectus Virginius deuijs itineribus prima uigilia erat, cum postero die mane (alij paulopost eadem nocte, autores sunt) de retinendo eo nequicquam literæ redduntur. At in urbe prima luce, cum ciuitas in foro expectatione erecta staret, Virginius sordidatus filiam secum obsoleta ueste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti aduocatione in forum adducit. Circumire ibi, & prehensare homines cœpit: & non orare solum precariam opem, sed pro debita petere, se pro liberis eorũ ac coniugibus quotidie in acie stare: nec alium uirum esse, cuius strenue ac fortiter facta in bello plura memorari possent: quid prodesse, si incolumi urbe, quæ capta ultima timeantur, liberis suis sint patienda? Hæc propè concionabundus circumibat homines. similia his ab Icilio iactabantur. comitatus muliebris plus tacito fletu, quàm ulla uox mouebat. Aduersus quæ omnia obstinato animo Appius indignatus, euasisse insidias Virginium (tanta uis amentiæ uerius quàm amoris, mentem turbauerat) ingenti stipatus manu in tribunal ascendit, ac per propinquos produci puellam iussit. Ibi, ultro querẽte pauca petitore, quod ius sibi pridie per ambitionem dictum non esset, priusquam aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus (etsi Dionysius longam aduocatorum Virginiæ defension em adscribit) Appius interfatur. Quem decreto sermonem prætenderit, forsan aliquem uerum autores antiqui tradiderint: quia nusquam ullum in tanta fœditate decreti uerisimilem inuenit Liuius. quod constabat, nudum proposuit, decresse uindicias secundum seruitutem. Dionysius Appium tradit, quasi abalienato per amorem atq; impotentiam sensu, neq; defensorum puellæ orationem satis animaduertisse, neq; lachrymis Virginiæ fractum, miserationem astantium indignabundum excepisse: prorsus quasi in duriorem ipse amoris seruitutem tractus, maiore dignus o-

mnium

mnium hominum misericordia uideri debuisset. His percitum, atq; ad insani morem extimulatum, impudentissime ea prælocutum, per quæ uictā à se calumniam aduersus uirginem detegeret. Impetrato enim silentio, cum forensis omnis turba, studio decreti tandem audiendi, ad tribunal undiq; concurrisset: ore huc illuc sæpe obuerso, ac familiariũ (quibus forum repleuerat) cateruas lustrantem oculis, dixisse. Ego Virgini, quiq; cum eo adestis, haud nunc primum hoc factum audio: ut quod iam diu, ante initum etiam Decemuiratum, ita cognouerim. Pater Claudij moriens, hunc mihi puerũ in tutelam dedit: quod iam tum à maioribus familiam nostram coluerant. Per tutelæ tempus manauit ad me de puella ista rumor, ut eam à serua Claudij acceptam, Numitoria uiro supposuerit, idq; diligentius exquirens, ita se habere comperi. Cæterum præstare duxi, Claudio, ubi in suā tutelam peruenisset, integrum relinquere, utrum abducere ancillam, an apud altores seu precio seu gratis esse mallet. Ego me interim ad Remp. conuerti. Claudius factus pubes, rem (ut fit) rationemq; familiarem recognoscens, in indicium, ut ego antea, de ancilla uenit. Aequum igitur postulat, cum seruam suam in seruitutem asserit. Mallem equidē rem esse trāsactam: sed, quando in controuersiam & iudicium uenit, ego & testor, & iudico, Virginiam ad Claudium pertinere. Primò stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquandiu tenuit. Dein cum Claudius, circunstantibus matronis, iret ad comprehendendam uirginem, lamentabilisq; eum mulierum comploratio excepisset, Virginius intentans in Appium manus: Icilio (inquit) Appi, non tibi filiam despondi: & ad nuptias, non ad stuprum, educaui. Placet pecudum ferarumq; ritu promiscuè in concubitus ruere? Passuri'ne hæc isti sint, nescio: non spero esse passuros illos, qui arma habent. Cum repelleretur assertor uirginis à globo mulierum, circunstantiumq; aduocatorum, silentium factum per præconem. Decemuir alienato ad libidinem animo, negat hesterno tantum conuicio Icilij, uiolentiaq; Virginij, cuius testem Ro. Populum habeat, sed certis quoq; indicijs compertum se habere: nocte tota cœtus in urbe factos esse, ad mouendam seditionem. itaq; se haud inscium eius dimicationis, cum armatis descendisse: non ut quenquam quietum uiolaret, sed ut turbantes ciuitatis otium, pro maiestate impe-

rij coerceret. proinde quiesse erit melius, (inquit.) I lictor, summoue turbam, & da uiam domino ad prehendendum mancipium. uos, quibus nihil hic est negocij, secedite. Cũ haec intonuisset, plenus irae, multitudo ipsa se sua sponte dimouit, desertaq; praeda iniuriae puella stabat. Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilij uidit: Quaeso (inquit) Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid inclemẽtius in te sum inuectus. deinde sinas hic corã uirgine nutricem percunctari, quid hoc rei sit: ut si falsò pater dictus sum, aequiore hinc animo discedam. Data uenia, seducit filiam, ac nutricem, prope Cloacinam ad tabernas, quibus post Nouis fuit nomen. atq; ibi ab lanio cultro arrepto: Hoc te uno, quo possum, ait, modo filia in libertatẽ uindico. pectus deinde puellae transfigit. respectansq; ad tribunal: Te (inquit) Appi, tuumq; caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius, indecoro motu uerbisq; comprehendi Virginium iubet. Ille ferro, quacunq; ibat, uiam facere: donec, multitudine etiam prosequentium tuente, ad portam perrexit. Icilius, Numitoriusq;, exangue corpus sublatum ostentant populo. scelus Appij, puellae infelicem formam, necessitatem patris deplorant: sequentes clamitant matronae, eã ne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiae praemia esse? caeteraq;, quae in tali re muliebris dolor, quo est moestior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subijcit. Virorũ, et maxime Icilij uox tota, tribunitiae potestatis ac prouocationis ad populũ ereptae, publicarũq; indignationũ erat. Cõcitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionẽ repetendae libertatis. Appius, ubi haec, quò se iã proripuerat, domi audijt: incensus ira, lictores aliquot mittit, per quos nũc uocari, nunc retractantẽ arripi, et cadauer è foro tolli. postremo, cũ locus adeundi apparatoribus non daretur, ipse cum agmine patriciorũ iuuenũ per turbã uadens, in uincula duci iubet: & quã placare iram turbae debuit, saeuius agendo incendit. Iam circa Iciliũ non solum multitudo, sed duces quoq; multitudinis erant, L. Valerius, & M. Oratius: qui repulso lictore, se iure agere, uindicare se à priuato Icilium aiebant. si uim afferre conaretur, ibi quoq; se haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium, Oratiumq; lictor decemuiri inuadit, frãguntur à multitudine fasces. In concionem Appius ad Vulcani

Virginiae caedes.

aedem

ædem ascendit, sequuntur Oratius Valerius*q; aut, si* Dionysium *sequimur, alibi concionem habent. eos concio audit.* Decemuiro *illos accusanti, & ut de rupe* Tarpeia *præcipitarentur censenti, obstrepitur: Iã pro imperio* Valerius *discedere à priuato lictores iubebat, cum fractis animis destitutus* Appius, *uitæ metuens, in domum se propinquam foro, inscijs aduersarijs, capite obuoluto recepit.* Concitatis *inde ea re militibus per atrocissimas conciones, in utrisq; castris à* Virginio, Numitorio, Icilio *habitas, occupatoq;* Auentino, *et mox* Sacro *monte, ac uiginti tribunis consulari potestate creatis, missisq; à senatu ad milites legatis ad cætera, de supplicio* Decemuirorum *agebatur.* Sed *persuasa plebs, monitis legatorum cessit.* Relatis *ad patres plebis mandatis, alij* Decemuiri *(quandoquidem præter spem ipsorũ, supplicij sui nulla mẽtio fieret) haud quicquam abnuère.* Appius *truci ingenio, & inuidia præcipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio:* Haud *ignaro (inquit) imminet fortuna. uideo, donec arma aduersarijs tradantur, differri aduersus nos certamen. dandus inuidiæ est sanguis. nihil ne ego quidem moror, quo minus* Decemuiratu *abeam.* Factum *senatus consultum, ut* Decemuiri *se primo quoq; tempore magistratu abdicarent,* Q. Furius Pont. Max. *tribunos plebis crearet, & ne cui fraudi esset secessio militũ tribunorum, plebisq;. His senatusconsulto perfectis, dimisso senatu,* Decemuiri *prodeunt in concionem, abdicantq; se magistratu, ingenti omniũ lætitia. Postmodo, reuocata in urbem plebe, creatis in decem tribunis* Virginio, Icilio, *ac* Numitorio, *fundata nouis legibus & potestate tribunitia & plebis libertate, tum* Tribuni *aggredi singulos tutum maturúmque iam rati, accusatorem primum* Virginium, *&* Appium *reum deligunt.* Cum *diem* Appio Virginius *dixisset, &* Appius *stipatus patricijs iuuenibus in forum descendisset, redintegrata extemplo est omnibus memoria fœdissimæ potestatis, cum ipsum satellitesq; eius uidissent. Tũ* Virginius: Oratio *(inquit) rebus dubijs inuenta est. Itaque neque ego accusando apud uos eum, tempus teram, à cuius crudelitate uosmetipsi armis uindicastis: nec istum ad cætera scelera, impudentiam in defendendo se adijcere patiar.* Omnium *igitur tibi* Appi Claudi, *quæ impie nefa-*

Virginij oratio.

rieq; per biennium alia super alia es ausus, gratiam facio: unius tantum criminis, nisi te uindices, ab libertate in seruitutem contra leges uindicias non dedisse, in uincula te duci iubeo. Nec in tribunicio auxilio Appius, nec in iudicio populi ullam spem habebat. attamen & tribunos appellauit, & nullo morante arreptus à uiatore, Prouoco, inquit. Audita uox una uindex libertatis, ex eo missa ore, quo uindiciæ nuper ab libertate dictæ erant, silentiũ fecit. Et dum pro se quisq;, Deos tandem esse, & nõ negligere humana, fremunt: superbiæ crudelitatiq; feras, non tamen leues uenire pœnas: prouocare, qui prouocationem sustulisset: & implorare præsidiũ populi, qui omnia iura populi obtrisset: rapiq; in uincula, egentẽ iure libertatis, qui liberũ corpus in seruitutẽ addixisset. ipsius Appij, inter cõcionis murmur, fidem populi Ro. implorãtis, uox audiebatur: maiorũ merita in Rem. domi militiæq; cõmemorabat: suũ infœlix erga plebẽ Ro. studiũ, coæquandarũ legũ causa, cum maxima offensione patrum consulatu abisset: suas leges, quibus manentibus lator earum in uincula ducatur. cæterum sua propria bona malaq;, cum causæ dicendæ data facultas sit, tum se experturum: in præsentia se, communi iure ciuitatis, ciuem Ro. die dicta, postulare, ut dicere liceat, ut iudicium populi Ro. experiri. non ita se inuidiam pertimuisse, ut nihil in æquitate & misericordia ciuium suorum spei habeat. quod si indicta causa in uincula ducatur, iterum se tribunos plebis appellare, & monere, ne imitentur quos oderint. quod si tribuni eodem fœdere obligatos se fateantur, tollendæ appellationis causa, in quod conspirasse Decemuiros criminati sunt: ait se prouocare ad populum, implorare leges de prouocatione & consulares & tribunicias, eo ipso anno latas. quem enim prouocaturum, si sibi indemnato indicta causa non liceat? cui plebeio & humili præsidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, utrũ nouis legibus dominatio, an libertas firmata sit: et appellatio prouocatioq; aduersus iniuriam magistratuũ ostentata tantum inanibus literis, an uere data sit.

Appij prouocatio.

Virginij oratio.

Contra ea Virginius, unum Ap. Claudium & legum expertem, & ciuilis & humani fœderis esse aiebat. respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum, ubi Decemuir ille perpetuus, bonis, tergo, sanguini ciuium infestus, uirgas securesq; omnibus minitans, Deorum homi

rum homi

rum hominumq; contemptor, carnificibus, nō lictoribus stipatus, iam ab rapinis & cædibus animo ad libidinem uerso, uirginem ingenuam in oculis populi Ro. uelut bello captam, à complexu patris arreptam, ministro cubiculi sui clienti dono uindicijs dederit: ubi crudeli decreto, nefandisq; uindicijs, dexteram patris in filiam armauerit: ubi tollentes corpus semianime uirginis, sponsum auumq; in carcerem duci iusserit, stupro interpellato magis quàm cæde motus: & illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ uocare sit solitus. Proinde, ut ille iterum ac sæpius prouocet, sic se iterum ac sæpius iudicem illi ferre, uindicias'ne ab libertate in seruitutem dederit: si ad iudicem non eat, pro damnato in uincula duci iubere. Vt haud quoquam improbante, sic magno motu animorum, cum tanti uiri supplicio sua & plebi iam nimia libertas uideretur, in carcerem, non acceptis uadibus, est coniectus, Tribunus ei diem prædixit. C. Claudius perosus Decemuirorum scelera, & ante omnis fratris filij superbiæ infestus, Regillum antiquam in patriam se contulerat. Is magno iam natu, cum ad pericula eius deprecanda redisset, cuius uitia fugerat, sordidatus cum gentilibus clientibusq; in foro prehensabat singulos, orabatq;, ne Claudiæ genti eam inustam maculam uellent, ut carcere & uinculis uiderentur digni. uirum honoratißimæ imaginis futurū ad posteros, legū latorem conditoremq; Romani iuris, iacere uinctū inter fures nocturnos, ac latrones. auerterent ab ira parūper ad cognitionē cogitationeq; animos: & potius unum tot Claudijs deprecantibus condonarent, q̄ propter unius odium multorum preces aspernarentur. se quoq; id generi ac nomini dare: nec cum eo in gratiam redisse, cuius aduersæ fortunæ uelit succursum. uirtute libertatem recuperatam esse, clementia concordiam ordinum stabiliri posse. Erant quos moueret sua magis pietate, q̄ eius, pro quo agebat, causa. Sed Virginius, sui potius ut misererentur, orabat, filiæq;. nec gentis Claudiæ, regnum in plebem sortitæ: sed necessariorum Virginij, & trium Tribunorum praeces audirent, qui ad auxilium plebis creati, ipsi plebis fidem atq; auxilium implorarent. Iustiores hæ lachrymæ uidebantur. Itaq; spe incisa, priusquam prædicta dies adesset, Appius sibi manu laqueoue mortem consciuit. Alijs placet: cum Tribunorum iussu extinctus esset, uoluntariam uim ad de-

C.Claudius.

Appij interitus.

clinandam inuidiam tribunos inuulgasse. Arrepto inde in carcerem, *Oppij mors.* & eodem fato functo collega Appij Oppio, bona utriusq; à Tribunis publicata sunt. Cæteri Decemuiri, confiscatis bonis, exilij causa *M. Claud.* solum uerterunt. & M. Claudius, assertor Virginiæ, die dicta damnatus, ipso remittente Virginio ultimam pœnam dimissus, Tibur exulatũ abijt. manesq; Virginiæ mortuæ, quàm uiuæ feliciores, per tot domos ad petendas pœnas uagati, nullo relicto fonte, tandem quieuerunt. ac Resp. post duorum triumue annorum tyrannidem, suum statum recepit. Reliquit Appius Decemuir inter liberos filium Appium: qui post aliquot annos præfectus urbis fuit. & eodem prænomine nepotem, cognomento Crassum, uel patrem uel auum Cæci, cuius uita subditur: ita ut è malo patre, haud pœnitendi patriæ posteri prouenerint, omnes tamẽ penè hæreditario odio plebi atrociter infesti. Ab hoc Decem *De usurpationibus liber.* uiro librum de Vsurpationibus, qui ad sua tempora nõ peruenerit, scriptum dici, autor est Pomponius: si tamen satis integer est ille locus.

APPIVS CLAVDIVS CAECVS.

EX eadem gente Appius Claudius, Crassus, Cæcus, centum circiter triginta post Decemuirum annis floruit, eius pronepos, aut (parum enim constat) abnepos. Celebris maxime eius censura fuit, L. Papirio Cursore V. C. Iunio Bubulco II. Coss. Collega ei datus C. Plaucius. in alijs L. Claudium, apud alios C. Fabium, qui ob inquisitas *Venox.* aquæ uenas, Venox cognominatus sit, inuenio. tãta codicum uarietas deprauatis proprijs nominibus implicat. Nam, quod illis temporibus censura sesquiannalis erat, quibus etiam consulibus quidq; gesserit, inter autores uariat. Plures illis Consulibus, alij sequentibus, aquam Appiam inductam ab eo ferunt. Verum (quocunq; anno gesta res sit) cum per annos quadringentos quadraginta amplius Tyberinis aquis, aut puteorum ac fontium, contentus Populus Ro. fuisset, primus Appi *Appia aqua.* us, ut populo gratam rem faceret, Appiam à se dictam aquã in urbem inuexit. Collegam alij obsecutum Appio, alij nullam partem operis tractasse: quidam uenas tantũ adinuenisse, priusquam se magistratu abdicaret, autores sunt. attamen nomen Appij gloriæ mansisse. Ea aqua decem milibus, aut (ut quidam) sex, aut octo, procul urbe petita. Quod

ta. Quod opus magno sumptu constitit: ac sine autoritate Senatus, inuita nobilitate, ab Appio actum. Aquæ ductus formã, à Frontino traditam, transcribere non libuit. Viam inde Appiam, unde et portæ nomen, quæ aliter Capena, Roma Capuam usq; centum triginta quinq; millibus passuum amplius muniit: eiusq; partem plurimã, lucis qui eminerent excisis, uallibus cauisq; per opportuna explementa complanatis, solido lapide ac silicibus longè conuectis, quadratisq;, ac leuigatis, atq; inter se apte ac quasi adnaturalem speciem coagmentatis constrauit. In quo prouentus omnes publicos insumpsit, æternum sui ea publici commodi curatione monumentum relicturus. Siquidem ea deinde uia Brundusium usq; strata, itinere in Græciam atque orientem maxime frequentata est. Neque tamen ab Appio ultra Capuam, ut Diodorus Siculus libro uigesimo (quem nos Latinum fecimus) & Frontinus tradunt. neque Strabo autorem eius monumenti Brundusium usque facit Appium. In quo ridicula est Zasij interpretatio, parum interesse existimantis, utrócunq; usque stratam dicamus, propter minimam locorum distantiam: cum longius absit Capua Brundusium, quàm à Roma Capua. Quod tamen negamus Strabonem scribere: tradit aperte autor eius Opusculi, quod extat de Viris illustribus: parum, ut mihi quidem uidetur, certa in multis historiæ fide. Latitudo uiæ certior, ita nanque patuit, ut plaustra duo sibi occurrentia laxe peruadant. Durant in hodiernum ferendo oneri pares uiæ reliquiæ, adeò in tantis opibus nemo postea æquare eius monumenti uel firmitudinem uel speciem potuit. Appius, ne non quacunque in re posset nobilitati insultaret, in legendo etiam Senatu, plebeios quoque, libertosq;, uel (ut tradit Suetonius) ingenuos libertinos, ex manumissis ortos, multos immiscuit: nobilibus honestisq; ciuibus, quorum is quasi solennis erat honos, præteritis. Ad hæc infamem nullum senatu mouit, quod facere Censores solebant. Cuius inuidiæ uerecundia uictus collega, magistratu sese abdicauit. Appius inde antiquitus insitam pertinaciam familiæ, gerendo solus censuram obtinuit. Et eo autore, corrupta precio quinquaginta millium grauis æris Potitica gens, cuius ad Aram Maximam Herculis familiare sacerdotium, iam inde ab Euandro, dono Herculis ipsius, mul-

Appia uia, & porta.

Liui. lib. 9. Dec. 1.

tis ante urbem conditam annis fuerat, seruos publicos ministerij delegandi causa solennia eius sacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, et quod dimouendis statu suo sacris religionem afferre facile poßit. cum duodecim familiæ ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnes intrà annum, trigesimumq́; adeò intrà diem, cum stirpe extinctos. nec nomen tantum Potitiorum interijsse, sed censorem etiam Appium memori deûm ira post aliquot annos luminibus captũ.

Appius unde cæcus.

Quidam cum expleto magistratu, ut Senatus inuidiam declinaret, cæcitatem simulasse, ac se domi continuisse, autores sunt: quibus tamen in re Ro. haud plus quàm Latinis habeas fidei. Sed insecuti Coss. initio anni questi apud populum, deformatum ordinem praua lectione Senatus, qua potiores aliquot lectis præteriti essent: negauerunt eam lectionem se, quæ sine recti prauiq; discrimine ad gratiã ac libidinem facta esset, obseruaturos. & Senatum extemplo citauerunt eo ordine, qui ante censores Appium Claudium & C.Plautium fuerat. Verum Appius, posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat quas petierat opes urbanas, humilibus per omnes tribus diuisis, forum & campum corrupit: potestatemq́; omnibus, in qua quisq; tribu poni, & ubi censeri uellet, effecit. Ea forensis factio quinto pòst anno, C.Flauium Cn.F. scribam, Aedilem curulem dixit.


C.Flauius.

Quæ comitia tantum indignitatis habuerunt, ut plæriq; nobilium annulos aureos deponerent, & phaleras. Apud quosdam creatum Aedilem ab Appio censore Flauium inuenio, eumq́; Appij scribam fuisse, & hortatu eius fastos dies excepisse, consultando aßiduè, sagaci ingenio, promulgasseq;. Alij, cum Appius ipse composuisset, & ad formam redegisset legitimas actiones, subripuisse Flauium Appio librum, ac populo tradidisse ferunt. ac licet de suo nihil adiecisset, sed Appij labore cōpositæ conscriptæq; actiones essent: Ius tamen Flauianum esse appellatũ.

Ius Flauianum.

fuisseq; eius rei gratia non modo Aedilem, sed & Senatorem, & Tribunum, ac Prætorem etiam factum. Sed nos Liuium præcipue sequimur. His igitur rebus conflatam sibi apud clarißimos uiros inuidiam sentiens Appius, cauit, ne quem aliorum ciuium offenderet, propugnaculum sibi aduersus odia nobilium in uulgarium beneuolentia collocans. Recensendis enim equitibus, nemini equum ademit. Tibicines tantum pro-

tum prohibuit in æde Iouis uesci, quod traditum antiquitus erat. Illi ægre passi, Tibur uno agmine abierunt, uixq; per somnum in plaustris reuecti, restituto iure, auctaq; licentia, retenti sunt. Illud minime ambigitur, secundo censuræ anno, cum permulti iam anni essent, ex quo inter patricios magistratus tribunosq; nulla certamina fuerant: ex ea familia, quæ uelut fatalis cum tribunis ac plebe erat, certamen ortum. cũ enim decem iam & octo legitimis censuræ mensibus exactis, nulla ui Appius ad deponendum eum magistratum compelli posset, P. Sempronius Sophus, qui tum tribunatum gerebat, longa habita oratione, minime parentem Appium præhendi & in uincula duci iussit. Approbantibus sex tribunis actionem, collegæ tres appellanti Appio auxilio fuerunt, summaq; inuidia omnium ordinum solus censuram quinquennio (quod initio spatium eius honoris fuerat) gessit. Neq; prius dimoueri honore potuit, quàm Consul cum L. Volumnio est factus. interpellatis tamen comitijs per L. Furium Tribunum plebis, donec se censura abdicaret. Creatus Consul, ne imperium Fabio prioris anni Consuli in suum annum à senatu prorogaretur, omni studio incassum annisus est. Et cum collegæ nouum bellum, Salentini hostes decernerentur, quando belli decus penes alios esset, Romæ administrandis rebus urbanis mansit. Nec quicquam eo magistratu memoria dignum ab eo gestũ traditur. Quin Piso in digerendis annalibus, hos Coss. & insequẽtes numero exemit: memoriæ'ne lapsu, an quod falsos putarit, incertũ. Cæterũ sexto pòst anno, suscepta à Tribunis cõmunicandorũ plebeis hominibus sacerdotiorũ, quæ ad eã diẽ propria nobiliũ manserãt, actione: præter cæteros certatũ suadenda dissuadẽdaq; lege, inter Ap. Cla. maxime ferunt, & inter P. Decium Murem. ad extremum Decius obtinuit, ut Plebs quoq; in partem sacerdotiorum admitteretur: sicut antea Consulatus, Censuræ, Dictaturæ ius impetratum fuerat. Tametsi is, qui uitas illustrium uirorum conscripsit, falsò tradat, eam contentionem de consulatu fuisse. per multos enim ante Appium Cæcum annos, ea disceptatio extiterat. Proximo anno Appius comitiorum gratia interregnum gessit: à quo tamen non habita comitia indicare uidetur Liuius, sed à Sulpitio, qui successit in interregnum. Cæterum grauis autor Cicero, in Bruto ait, interrege Appio Cæco, diserto homi-



ne, comitia contra leges habente, cum de plebe consulem non accipiebat, Marcum Curium Tribunum ple. Patres antè autores fieri coegisse: quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata. Triennio post, cum Consulum comitijs summo studio Q. Fabius à cunctis centurijs crearetur, Appius consularis candidatus, uir acer & ambitiosus, nō sui magis honoris causa, quàm ut patricij recuperarent duo consularia loca, cum suis, tum totius nobilitatis uiribus incubuit, ut se cum Q. Fabio Consulem dicerent. Cum ille recusasset consulatum, L. Volumnius de plebe cum Appio Claudio Consul est factus, priore item consulatu inter se comparati. Nobilitas inde obiectare Fabio, fugisse eum, ne Appium collegam haberet, eloquentia ciuilibusq; artibus haud dubie præstantem. Eo anno Resp. in Samnio egregie gesta, multæ urbes captæ, multa millia hominum cæsa captáque. Cæterum, quia cuius auspicijs id bellum gestum sit, ac màior pars Scriptorum ad Consules utrosq; trahit, non est uisum Appio ascribere. cum præsertim certis ipse rebus clarus illustrisq; abunde sit. Eodem nanque anno, concitato in Etruria quatuor maximorum per Italiam ea tempestate populorum, Sānitium, Etruscorum, Gallorum, Vmbrorumq; bello, Ap. Claudium primo quoq; tempore in Etruriam ire placuit. duæ Romanæ legiones secutæ, prima & quarta: & sociorum duodecim millia, castra haud procul ab hoste posita. Cæterum magis eò profectum est, quod matu re uentum erat, ut quosdam spectantes iam arma Etruriæ populos metus Romani nominis comprimeret, quàm quod ductu Coss. quicquam ibi satis scitè aut fortunate gestum sit. Multa prælia locis & temporibus iniquis commissa, spesq; in dies grauiorem hostem faciebat: & iā propè erat, ut nec duci milites, nec militibus dux satis fideret. Literas ad collegam accersendum ex Samnio missas, in trinis Annalibus inuentum est. Piget tamen incertum ponere, cum ea ipsa inter Coss. populi Ro. simul iam iterum eodem honore fungentes discrepatio fuerit, Appio abnuente missas, Volumnio affirmante Appij se literis accitum. Iam Volumnius in Samnio tria castella ceperat, in quibus ad tria millia hostium cæsa erant, dimidium ferè eius captum. Et Lucanorum seditiones, à plebeis & egentibus ducibus ortas, summa optimatium uoluntate per Q. Fabium proconsulem, missum eò cum ueteri exercitu, com-

tu, compresserat. Decio populandos hostium agros relinquit, ipse cum suis copijs in Etruriam ad collegam pergit. Quem aduenientem, læti omnes accepere. Appium ex conscientia sua credo animum habuisse haud immerito iratum, si nihil scripserat, illiberali & ingrato animo, si eguerat ope, dissimulantem. Vix enim salute mutua reddita cum obuiam egressus esset: Satin' saluæ, inquit, Luci Volumni? ut sese in Samnio res habent? quæ causa, ut prouincia tua excederes, induxit? Volumnius in Samnio res prosperas esse ait. literis eius accitum uenisse: quæ si falsæ fuerint, nec usus sui sit, in Etruriam extemplo conuersis signis abiturum. Tu uero abeas, inquit: neque te quisquam moratur. Etenim minime consentaneum est, cum bello tuo forsitan uix sufficias, huc te ad opem ferendam alijs gloriari uenisse. Bene Hercules uerteret, dicere Volumnius: malle frustra operam insumptam, quàm quicquam incidisse, cur nō satis esset Hetruriæ unus consularis exercitus. Digredientem iam Cos. legati tribuniq; ex Appiano exercitu circumsistunt. pars imperatorem suum orare, ne collegæ auxilium, quod accipiendum ultro fuerit, sua sponte oblatum sperneretur: plures abeunti Volumnio obsistere, atq; obtestari, ne prauo cum collega certamine Remp. perdat. si qua clades incidisset, desertori magis quàm deserto noxiæ fore. eò rem adductam, ut omnis rei bene aut secus gestæ in Hetruria, decus dedecus'que ad L. Volumnium sit delegandum. neminem quæsiturum, quæ uerba Appij, sed quæ fortuna exercitus fuerit. dimmitti ab Appio eum: sed à Rep. & ab exercitu retineri, experiretur modo uoluntatem militum. Hæc monendo obtestandoq;, propè restitantes Coss. in concionem pertraxerunt. Ibi orationes longiores habitæ, in eandem fermè sententiam, in quam inter paucos certatum uerbis fuerat. Et cum Volumnius, causa superior, ne infacundus quidem aduersus eximiam eloquentiam collegæ uisus esset, cauillans'que Appius sibi acceptum referri diceret debere, quod ex muto atque elingui facundum etiam Coss. haberent: priore consulatu, primis utique mensibus, hiscere eum nequisse, nunc iam populares orationes serere: Quàm mallem (inquit Volumnius) tu à me strenuie facere, quàm ego abs te scite loqui didicissem. Postremo conditionem ferre, quæ decretura sit, non,

Gelius Egnatius.

orator(neq; enim id desiderare Remp.) sed imperator uter sit melior. Hetruriam & Samnium prouincias esse: utram mallet, eligeret. suo exercitu se uel in Hetruria, uel in Samnio rem gesturum. Tum militum clamor ortus, ut simul ambo bellum Hetruscum susciperent. Quo animaduerso consensu, Volumnius: Quoniam in collegæ uoluntate interpretenda, inquit, erraui, non committam, ut quid uos uelitis obscurum sit. manere, an abire me uelitis, clamore significate. Tum uero tantus est clamor exortus, ut hostem è castris exciret. Armis arreptis in aciem descendunt, & Volumnius signa canere, ac uexilla efferri è castris iussit. Appium addubitasse ferunt, cernentem seu pugnante, seu quieto se, fore collegæ uictoriam: deinde ueritum, ne suæ quoq; legiones Voluminum sequerentur, & ipsum flagitantibus suis signum dedisse. Ab neutra parte satis commodè instructi fuerunt. Nam & Samnitium dux Gelius Egnatius, pabulatum cum cohortibus paucis ierat: suoq; impetu magis milites, quam cuiusquam ductu aut imperio pugnã capessebant. Et Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis tẽporis ad instruendum fuit: prius concurrit Voluminus, quam Appius ad hostem perueniret. Itaq; fronte inæquali concursum est. & uelut sorte quadam mutante assuetos inter se hostes, Hetrusci Volumnio, Sãnites parumper cunctati, quia dux aberat, Appio concurrere. Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita ut inter prima signa manibus ad cœlũ sublatis conspiceretur, ita precatus esse: Bellona, si hodie nobis uictoriam dederis, ast hic ego tibi templum uoueo. Hæc precatus, uelut instigante Dea, & ipse collegæ, & exercitus uirtutem adæquauit ducis. Imperatoria opera exequitur: & milites, ne ab altera parte prius uictoria incipiat, annituntur. Ergo fundunt fugantq; hostes, maiorem molem haud facile sustinentes, quàm cum qua manus conserere assueti fuerant. Vrgendo cedentes, insequendoq; effusos compulere ad castra. Ibi interuentu Gelij, cohortiumq; Sabellarum, paulisper recruduit pugna. Iis quoq; mox fusis, iam à uictoribus castra oppugnabantur: & cum Volumnius ipse portæ signa inferret, Appius Bellonã uictricem identidem celebrans, accenderat militum animos. Per uallum, per fossas irruperunt, castra capta direptaq;, præda ingens parta, & militi concessa est. Septem milia ac trecenti hostium occisi. duo

millia

millia & centum uiginti capti. Inde reuocatus nouis Samnitium tumultibus Volumnius, audaciores Tuscos fecit. Itaq; redintegratum bellum, iidem populi sollicitati congregatiq;. Qua de re indictum Romae iustitium, delectus studiose habitij. Crebrae afferebantur literae Appij, monentis, ne regionis eius motum negligerent: quatuor gentes conferre arma, Hetruscos, Samnites, Vmbros, Gallos. Iam castra bifariā facta esse, quia unus locus capere tantam multitudinem non posset. Ad haec iam appetebat tempus comitiorum. Igitur creatis consulibus summis duobus uiris in Republica, saepe alias collegis: quod ex discordia Cōsulum prioris anni magnopere periclitatum fuerat, Appius ad uerborum linguaeq; certamina quàm armorum expertior, callidus, solersq;, Iuris atq; eloquentiae cōsultus, ut Iuri ac foro praesideret, praetor absens ad iura reddenda creatus est. Fabius alter consulum cui Hetruria prouincia data, literis Appij de periculo ac magnitudine belli saepe recitatis, in Hetruriam proficiscitur: & ad oppidum Aharnā, unde haud procul hostes erant, in castra, Appij praetoris pergit. paucis citra millibus lignatores ei cum praesidio occurrunt. cumq; iussi à Fabio retro redissent, terrorem in castris, atq; ipsi Appio fecerunt. Appius praetor postridie Romam dimissus, paulopost relatione sua, qua ad Senatum belli pondus auxit, Fabium eòdem retraxit: ut quidam autores sunt, quasi dux unus suffecturus non esset, neq; exercitus unus aduersus quatuor populos. periculosum esse. siue iuncti unum premant, siue id diuersi gerant bellum. ne ad omnia simul obire unus non possit, duas se ibi legiones Ro. reliquisse, & minus quinq; milia peditum equitumq; cum Fabio uenisse. sibi placere, P. Decium consulem primo quoq; tempore in Hetruriam ad collegam proficisci, L. Volumnio Samnium prouinciam dari. si Consul malit in suam prouinciā ire, L. Volumnium in Hetruriam ad consulem cum iusto exercitu consulari proficisci. Cum magnam partem moueret oratio praetoris. placuit Consulem Romam ad belli molem exponendam acciri. Sunt qui scribant, Fabium absentem ab Appio ad populum criminatum esse, cumq; redisset, praetoris aduersus eum contumaciam. Eodem anno uictis à Cōsule Samnitibus, deductoq; exercitu, bellū redintegratum est. Aduersus eos Appius Claudius praetor, cum exercitu mortui Consulis missus.



sus. Samnitum legiones, cum partem Appius, *partem* L. Volumnius *proconsul sequeretur, in agrum* Stellatem *conuenerunt. ibi & Samnitium legiones omnes considunt, &* Appius Volumniusq; *castra coniungunt. Pugnatum infestissimis animis: hinc ira stimulante aduersus rebellantes toties, illinc ab ultima iam dimicantibus spe. Caesa ergo Samnitiū sexdecim millia trecenti, capta duo millia septingenti. ex* Romano *exercitu cecidere duo millia septingenti. Felix annus bellicis rebus, pestilentia grauis, prodigijsq; sollicitus nam & terram multifariam pluisse, & in exercitu* Appij *plerosq; fulminibus ictos nunciatū est, librię; ob haec aditi. Post aliquot deinde annos, quadringentesimo sexagesimoquarto scilicet ab urbe condita,* Pyrrhus Epiri Rex, Alexandri Magni *successorum opibus adiutus, per speciem ferendi* Tarentinis *auxilij bellum in* Romanos *gerens, cum eos ita profligasset, ut* Praeneste *usq; milliario fermè ab urbe uigesimo processisset, admiratus* Fabricij *caeterorumq;* Ro. *(ut ferunt) constantiam, legatum* Cineam *nomine misit, qui pacem ita peteret atq; offerret, ut partem* Italiae *quam iam armis occupauerat, retineret. Senatus clade perterritus, & grauiora metuens, ad pacem societatemq; eam iam propemodum inclinabat. Sed* Appius, *uir amplissimus quidem, caeterum senectute & orbitate oculorum à* Reip. *muneribus uacans, auditis ijs, quae à* Rege *nunciabantur, ac rumore obtinente,* Senatum *pacem esse decreturum: tolerare non potuit, sed in curiam se deferri iussit. Latus igitur in lectica per forum. ubi ad ianuā curiae peruenit, filij simul & gener suscipientes ipsum. stipantesq; in* Senatum *duxerunt. Cum* Patres *ad conspectum tanti* Senatoris *obmutuissent: ille ubi suo loco constitit, ita dicere est orsus:* Equidem antea P. C. *meam hanc oculorum fortunam permolestè ferebam: nunc autem doleo atque angor, quòd non ultra caecitatem ipsam surdus etiam sim, ne turpes consultationes ac sententias uestras, quae huius urbis gloriam subuertunt, audire compellerer. Vbi enim illa est ferocia, quam crebro uerbis usurpare soletis, affirmantes, si* Magnus Alexander *in* Italiam *profectus nobiscū adolescentibus aut cum patribus nostris tunc florentibus gessisset bellum. nequaquam eum tunc ut inuictum gloriam relaturum, sed aut fuga aut morte sua maiorem huic urbi gloriam nomenq; relicturum fuisse?*

Pyrrhi in Ro. bellū.

Appij in Senatu oratio.

isse? Hanc igitur uerborum insolentiam, nunc rebus ostendite. Chaones & Molossos, qui semper macedonum praeda fuere, & Pyrrhum regem eorum formidatis, qui unum ex Alexandri satellibus semper secutus est ac coluit. et nunc, non tam Tarentinis auxilium ferens, quam hostes domi fugiens, in Italia uersatur, ausus profiteri principatũ in Italia cum potentia, quae ad exiguã Macedoniae partẽ conseruandã sufficere non ualuit. Itaq; non hunc remouebitis, si amicũ feceritis: sed alios cõteptu nostri inuitabitis, quasi superare nos facile sit, si Pyrrhus abeat non modo poena non data eorũ quae contrà nos gessit, uerũetiam mercede accepta foederis eo autore cum Tarentinis Samnitibusq; recipiendi. Itaq; acerba in Patres oratione inuectus, pacem ut insalubrem diremit, & ad belli studium animos traduxit. Neq; id modo, sed etiam admitti in urbem Pyrrhum, inspiciendi amicè gratia id orantem, uetuit. Renunciatum est igitur Pyrrho à Senatu, eum cum Ro. nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse: quoad in armis esset. Populum Ro. in eum gesturum bella, uel si mille Consules uicisset. Itaque Cineas legatus admiratione plenus, reuersus quaerenti Pyrrho respõdit, regum se patriam & consessum uidisse: talisq; Romae esse omnes sigillatim, qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Graeciam putaretur: & aduersus Lernaeam quandam hydram pugnari, tantum esse & militum et populi numerum. Salubre Appij consilium euentus comprobauit. Nam paulo post Pyrrhus ui uictus, atq; expulsus Italia est. Eius orationis initium Ennius in Annalibus ita expresserat:

Quò uobis mentes, rectae quae stare solebant
Ante hac, dementi sese flexere ruina?

Sed & Appij oratio ipsa, & nonnullae mortuorum laudationes, usq; ad Ciceronis extremam aetatem peruenere: adeò non omnibus improbatae, ut inuenti sint, qui Appium quàm Catonem magis imitarentur. Actiones etiam ab eo scriptas, Pomponius tradit. Legimus & carmen quoddam ab eo relictum, à Pythagoraeorum institutis non abhorrens, quod Panetius Stoicus philosophus quadam ad Q. Tuberonem epistola ualde laudarit. Ab eodem affirmare uidetur Pomponius, usum R literae in multis nominibus traductum, quae prius per S

Appij monumenta.

enunciabantur: ut pro Valesijs Valerij, pro Fusijs Furij essent. Quod uerisimilius facere uidetur Cicero, ad Pætum scribens, L. Papirium Crassum, in cuius senectutem incidit iuuenta Appij, primum desijsse uocari Papisium, & Papirium appellatum. Neq; tamen dißimulauerim, haud satis integrum uideri eum Ponponij locum. eum enim ad tertium quendam Claudium Iurisconsultum quidam trahunt. Quod quando nobis adhuc parum in comperto est, uitam eius non adiunximus, quem illi cognomento Centinianum, uel Centimalum (nam utrunque legitur) uocant. Ea de re nos apud Pomponiũ longius uerba fecimus, ostendimusq; existimari posse, cognomen id aut toti Claudiorum familiæ, aut certe parti cuidam ex ea esse impositum. Nam quin de Cæco sentiat Pomponius, dubitari non potest, uel ex ordine enumerationis, uel ex rebus eius gestis paucis, quæ ab eo quasi notæ loco ascribũtur, uel etiam ex Liuio. Illud quoq; (ni fallor) ad Cæcũ pertinet, quod sapienter solitum dictitare Ap. Claudium accepimus, negotium Populo Ro. melius quàm ocium committi. non quod ignoraret, quàm iocundus tranquillitatis status esset: sed quòd animaduerteret, præpotentia imperia agitatione rerum ad uirtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et sanè negocium nomine horridum, ciuitatis Ro. mores in suo statu continuit: blandæ appellationis quies, plurimis uitijs respersit. Infinitum propè annorum numerum orbatus luminibus exegit Appius: quatuor filios, quinq; filias, plurimas clientelas, rem deniq; pub. fortißime, hoc casu grauatus, rexit, ita ut nec priuato nec publico muneri defuerit. Inter filios, duos reliquit, Tib. Claudium Neronem (id cognomen, lingua Sabina, fortem ac strenuum significabat) & Ap. Claudium Pulchrum. Ab illo paternum genus post multos annos Tiberius Augustus, in familiam tamen Octauiam aut Iuliam ascitus, ducebat: cum duobus alijs Augustis, C. Caligula, & Claudio, etiam inter diuos relato, alijsq; aliquot Cæsaribus, quibus præpropera mors ademit imperium, Drusis tribus, Germanico, Nerone, Britannico. in quo, Domitij Neronis adoptiui fratris fraude sublato, gens Claudia, imperatoria quidem, defecit. Vbi illud quoq; singulare contigit, quod ante Neronem hunc Domitium Cæsarem, pestem humani generis, nemo unquam per adoptionem nomini Claudio insertus est.

Marginal notes: Pomponij locus. — Claud. Centinianus. — Val. Max. lib. 7. C. 2. — Appij liberi.

tus est. Legitur etiã C. uel Ap. Claudius Caeci F. Russus, qui cum Tuditano Consul fuerit anno post V. C. (ut quidam ferunt, nam inter autores non conuenit) quadringentesimo octuagesimo. quibus nonnulli quinq; adijciũt. Et P. Claudius Caeci N. Pulcher, uicennio pòst cum L. Iunio Pullo Cos.

P. SEMPRONIVS SOPHVS.

GEntem Semproniam antiquae inter patricias nobilitatis fuisse, non ambigitur, ut in quam tertiusdecimus à regibus eiectis Consulatus uenerit. Sed & plebeios quosdam Sempronios legimus. Primum eis cognomen Atracinum (Atratinum, Atracinum habent uariè codices) tum deinde Sophos, Tuditanos, Longos, Gracchos inuenio. Consulatus quatuor, totidem Tribunatus Consulari potestate, omniumq; adeò primus, unum Equitum magisterium familiae, perdiu futurae nobili, ante iurisconsultum contigerant. Hinc igitur ortus P. Sempronius Longus, quem populus Ro. primum Graeco sapientiae nomine Sophum appellauit, Tribunus Pl. cum esset, in Ap. Claudiũ, qui Liui. lib. 9. Dec. 1. *postea Caecus est dictus, censorem, circumactis decem & octo mensibus (quod temporis Aemilia lege finitum censurae spacium erat) cum C. Plautius collega eius magistratu se abdicasset, summa contumacia, ne deponeret, recusantem, finiendae intra legitimum tempus censurae actionem suscepit, non popularem magis quàm iustam, nec in uulgus quàm optimo cuiq; gratiorem. Is, cum identidem legem Aemiliam recitaret, autoremq; eis Mamercum Aemilium dictatorem laudibus ferret: qui quinquennalem antè censuram, & longinquitate potestatis dominantem, intra sex mensium & anni coegisset spacium: Dic agedum, inquit, Ap. Claudi, quid nam facturus fueris, si eo tempore, quo M. Furius & M. Geganius censores fuerunt, censor fuisses? Negare Appius, interrogationem Tribuni magnopere ad causam pertinere suam. nam & si tenuerit lex Aemilia eos censores, quorum in magistratu lata esset: quia post illos censores creatos eam legem populus iussisset: quodq; postremum iußisset, id ius ratumq; esset: non tamen aut se, aut eorum quenquam, qui post eam legem latam creati censores essent, teneri ea lege potuisse. Haec sine ullius assensu cauillante*

Appio: En (inquit) Quirites, illius Appij progenies, qui Decemuir in annum creatus, altero anno se ipse creauit: tertio nec ab se, nec ab ullo creatus, priuatus fasces & imperiū obtinuit: nec antè cōtinuando abstitit magistratu, quàm obruerent eum male parta, male gesta, male retenta imperia. Hæc est eadē familia Quirites, cuius ui atq; iniurijs cōpulsi, extorres patria, Sacrū montē cepistis. Hæc, aduersus quā tribunitiū auxilium uobis cōparastis: hæc, propter quā duo exercitus Auentinum insedistis: hæc, quæ fœnebres leges: hæc, quæ agrarias semper impugnauit. hæc conubia patrū & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit. Hoc est nomē multo quàm Tarquiniorū infestius uestræ libertati. Itáne tandē Ap. Claudi, cum centesimus iam annus sit ab Mamerco Aemilio dictatore, tot censores fuerint nobilissimi fortissimiq; uiri, nemo eorū duodecim tabulas legit? nemo id ius esse, quod postremo populus iussisset, sciuit? immò uero omnes sciuerunt: ideo Aemiliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, qua primum censores creati erant, quia hanc postremum iusserat populus: & quia, ubi duæ contrariæ leges sunt semper antiquæ abrogat noua. An hoc dicis Appi, non teneri Aemilia lege populum? an populum teneri, te unum extra legem esse? Tenuit Aemilia lex uiolentos illos censores, M Furium, & M. Geganium: qui, quid iste magistratus in Republica male facere posset, indicarunt: cum ira finitæ potestatis Mamercum Aemilium, principem ætatis suæ belli domiq;, ærarium fecerunt. tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spacium. tenet C. Plautium collegam tuum, ijsdem auspicijs, eodem iure creatum. An hunc non, ut qui optimo iure censor creatus esset, populus creauit? tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare ualeat? En quem tu Regem sacrificiorum crees, amplexus regni nomen, ut qui optimo iure rex Romæ creatus sit, creatum se dicat. quem semestri dictatura, quem interregno quinque diebus contentum fore putes? quem claui figendi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees? Quàm isti stolidos ac socordes uideri creditis, eos, qui intra uicesimum diem angentibus rebus gestis dictatura se abdicauerunt. Aut qui uitio creati abierunt magistratu? Quid ego antiqua

repetam

repetam? Nuper intra decem annos C. Menenius dictator, quia cum quæstiones seuerius, quàm quibusdam potentibus tutum erat, exerceret: contagio eius quod quærebat criminis ipsi obiectata ab inimicis est: ut priuatus obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit. Nolo ego istam in te modestiam, ne degeneraueris à familia imperiosissima & superbissima: non die, non hora citius, quàm necesse est, magistratu abieris: modo ne excedas finitum tempus. satis est aut diem, aut mensem censuræ adijcere. Triennium, inquit, & sex menses, ultrà quàm licet Aemilia lege, censuram geram: solus geram. Hoc quidem iam regno simile est. An collegam subrogabis? quem ne in demortui quidem locũ subrogari fas est. Pœnitet enim, quod antiquissimum solenne, & solũ ab ipso, cui fit, institutum Deo, ab nobilissimis antistitibus eius sacri ad seruorum ministerium religiosus censor deduxisti: ac gens antiquior originibus urbis huius, hospitio deorum immortalium sancta, propter te ac tuam censuram, intra annum ab stirpe extincta est, nisi uniuersam Remp. eo nefario obstrinxeris: quod ominari etiam reformidat animus. Vrbs eo lustro capta est, quo demortuo collega C. Iulio censore, L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Corneliũ Maluginensem collegam subrogauit. Et quanto modestior illius cupiditas fuit, quàm tua Appi? Nec solus, nec ultra finitum lege tempus L. Papyrius censuram gessit: tamen neminem inuenit, qui se postea autorem sequeretur. Omnes deinceps censores post mortem censoris collegæ se magistratu abdicarunt. Te nec quod dies exijt censuræ, nec quod collega magistratu abijt, nec lex, nec pudor coercet: uirtutem in superbia, audaciam in contemptu deorum hominumq; ponis. Ego te App. Claudi pro istius magistratus maiestate ac uerecundia, quem gessisti, non modo manu uiolatum, sed ne uerbo quidem inclementiori à me appellatum uellem: sed & hæc, quæ adhuc egi, peruicacia tua & superbia coegit me loqui. &, nisi Aemiliæ legi parueris, in uincula duci iubebo. nec, cum ita comparatum à maioribus sit, ut comitijs. nisi duo confecerint legitima suffragia, non renunciato altero, comitia differantur: ego te, qui solus censor creari non possis, solum censuram gerere patiar. Hæc taliaq; cum dixisset, prehendi cen-

sorem

censorem, & in uincula duci iußit. adprobantibus sex Tribunis actionem collegæ, tres appellanti Appio auxilio fuerunt: summaq; inuidia omnium ordinum solus censuram geßit. Sophus idem quinto pòst anno, consul cum P. Sulpitio Auerrione fuit: quo tempore Romani cũ Samnitibus bellum gerebant. Qui cum eo anno legatos de pace Romam misißent, responsum est, P. Sempronium Consulem cum exercitu breui in Samnio fore. eum, ad pacem bellumúe inclinarent animi, falli non posse, comperta omnia Senatui relaturum: decedentem ex Samnio consulem legati sequerentur. Itaq;, cum pacatum Samnium exercitus Ro. benigne præbito commeatu peragrasset, fœdus antiquum, post annorũ circiter uiginti bellum, Samnitibus redditum.

Bellum in Aequos.

Ad Aequos inde ueteres hostes, cæterum per multos annos sub specie infidæ pacis quietos, uersa arma Ro. quod incolumi Hernico nomine, mißitauerant simul cum his Samniti auxilia, & post Hernicos subactos uniuersa propè gens sine dißimulatione consilij publici ad hostes desciuerat: & postquam icto Romæ cum Samnitibus fœdere, feciales uenerant res repetitum, tentationem aiebant esse, ut terrore incusso belli Romanos se fieri paterentur. quod quantopere esset optandum, Hernicos docuisse, cum, quibus licuerit, suas leges Romanæ ciuitati præoptauerint: quibus legendi quid mallent, copia non fuerit, pro pœna necessariam ciuitatem fore. Ob hæc uulgo in concilijs iactata, Romanus bellum fieri Aequis iußit. consulesq; ambo ad nouum profecti bellum, quatuor millia à castris hostium consederunt. Aequorum exercitus (ut qui suo nomine per multos annos imbelles egissent) tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio, trepidare. alij exeundum in aciem, alij castra tuenda censent, mouet plerosq; uastatio futura agrorũ, ac deinceps cum leuibus præsidijs relictarum urbium excidia. Itaque postquam inter multas sententias una, quæ, omissa cura communium, ad respectum suarum quenq; rerum auertisset, audita, ut prima uigilia diuersi è castris ad deportanda omnia tuendaq; mœnibus in urbes abirent: cuncti eam sententiam ingenti assensu accepere. Palatis hostibus per agros, prima luce Romani signis prolatis, in acie consistunt: &, ubi nemo obuius ibat, pleno gradu ad castra hostium tendunt. Cæterum postquã ibi neq; stationes pro portis, nec quenquam in uallo, nec fremi-

fremitum consuetum castrorũ animaduerterũt, insolito silentio moti, metu insidiarum subsistunt. transgreßi deinde uallũ, cum deserta omnia inuenissent, pergunt hostem uestigijs sequi. Sed uestigia in omnes æque ferentia partes, ut inde lapsis paßim, primo errorem faciebant: pòst per exploratores compertis hostium consilijs, ad singulas urbes circunferendo bello, unum & quadraginta oppida intra dies sexaginta omnia oppugnando ceperunt: quorum pleraq; diruta atq; incensa, nomenq; Aequorum propè ad internitionem deletum, deq; his celebri pompa triumphatum. exemploq; eorum clades fuit, ut Marrucini, Marsi, Peligni, Ferentini mitterent Romam oratores pacis petendæ amicitiæq;, ijs populis fœdus petentibus datum. Hæc omnia ideo ascripsimus, quòd alij auspicijs Sempronij tantum gesta memorant. præcipuam certe eius operam in eo fuisse bello id argumento est, quod & Senatus hostibus responderat, Sempronium in Sannio fore. Tertio deinde anno, cum post magnam contentionem obtinuisset plebs, ut sui ordinis hominibus sacerdotia quoq; communicarentur, Sempronius Pontifex creatus, et proximo anno censor cum eo quem in Consulatu collegam habuerat (tametsi corrupta Liuij exemplaria opinor, ut pro P. Sempronio scriptum sit P. Sulpitio Auerrione, et pro P. Sulpitio Auerrione suppositum mendosè P. Sulpitio Sopho) tribus duas Aniensem & Tarentinam addidit. Duobus pòst annis Prætor (nam ne post maiores quidem magistratus is honos tum spernebatur) cum nunciatum esset Etruscos, Vmbros, Samnites, Gallos etiam in armis esse, & iam urbi minitari, summæ rerum à Senatu præpositus, iustitium indixit, delectum omnis generis hominum habuit: nec ingenui modò aut iuniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertiniq; centuriati, & defendendæ urbis cõsilia agitabantur. Eodem anno iussus est plebiscito triumuiros creare, qui Sinuessam nouos colonos deducerent. Hæc de eo Sempronio inuenimus, qui primus omnium Sophus est dictus, de quo dubio procul sensit Pomponius. Post quem Sempronij permulti, uarijs cognominibus atq; honoribus illustres. Nanq; P. Sempronium Sophum anno

Liuij locus emendatur.

poſt ſuperioris (patris opinor) conſulatum, circiter trigeſimo quinto Conſulem cum Appio Claudio Ruffo, Cæci filio, in breuiarijs reperio, tum Sempron. Bleſum bis Coſ. & M. Sempronium Tuditanum aliquanto poſt, mox T. Semproniũ Gracchum, deinde T. Sempronium Longum anno primo ſecundi belli Punici, poſtq; T. Sempronium Gracchum bis Coſ. ante eum Sophum, cuius uitam hic addemus. Equidem non ignoro P. illum Sempronium Sophum iuris conſultum, de quo ſuprà ſcripſimus, non poſſe eundem eſſe cum P. Sempron. Tuditano, cuius uitam ſubiecturi ſumus: neque is ſum, qui erroris notam facile ſcriptoribus antiquis impingi uelim. ſed tamen cum uideam, eum quoq; quem centies amplius Tuditanum Liuius uocauerat, & ſub eo nomine inter multas laudes etiam cognitione Iuris pontificij honeſtauerat, nihil tale de primo illo locutus, eundem libro eius quarto & trigeſimo Sophum appellari, putaui, ſiue deceptus eſſet Pomponius, corrigendũ: ſiue is Tuditanus filius forte, aut certe inter poſteros primi illius fuiſſet Sophi, coniungendos eſſe, atq; ampliandos familiæ honores. Itaq; P. Sempronius Tuditanus Sophus, cum bello Punico ſecundo Cannenſi acie afflictis Romanis, qui ſuperſtites fuerant, alij in maiora caſtra (nam bifariam metati erant) alij in minora ſeſe recepiſſent, ibiq; ſemiermis multitudo ſine ducibus eſſet, nunciũ qui in maioribus erant, mittunt, dum prælio, deinde ex lætitia epulis fatigatos quies nocturna hoſtes premeret, ut ad ſe tranſirent. uno agmine Canuſium abituros eſſe. Eam ſententiam alij totam aſpernari. cur enim illos, qui ſe accerſant ipſos non uenire, cum æquè coniungi poſſent? quia uidelicet plena hoſtium omnia in medio eſſent, & aliorum quàm ſua corpora tanto periculo mallent obijcere. Alijs non tam ſententia diſplicere, quàm animus deeſſe. P. Sempronius Tuditanus Tribunus militum: Capi ergo mauultis, inquit, ab auariſſimo & crudeliſſimo hoſte? æſtimariq; capita ueſtra precio? & exquiri ab interrogantibus, Romanus ciuis ſis, an Latinus ſocius? ut ex tua contumelia et miſeria alteri honos quæratur, non tibi. Non uos quidem L. Aemilij, qui ſe bene mori quàm turpiter uiuere maluit, & tot fortiſſimorum uirorum, qui circa

circa eum cumulati iacent, similes estus. Sed antequã opprimat lux, maioraq́; hostium agmina obsepiant iter, per hos qui inordinati atq; incompositi obstrepunt, portis erumpamus. Ferro atq; audacia iter fit quamuis per cõfertos hosteis. cuneo quidem hoc laxum atq; solutum agmen, ac si nihil obstet, transibimus. Itaq; ite mecum, qui & uos metipsos & Rempub. saluam uultis. Hæc ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoq́; facto per medios uadit hostes. & cum in latus dextrum, quod patebat, Numidæ iacularentur, translatis in dextram partem scutis, in maiora castra ad sexcentos euaserunt, atq; inde protinus alio magno agmine adiuncto, Cannusium incolumes perueniunt. Hæc apud uictos magis impetu animorũ, quem ingenium suum cuiq; aut fors dabat, quàm ex consilio ipsorum aut imperio cuiusquam agebantur. Quarto inde anno, cum ædilis curulis esset, primusq́; ludos scenicos per quatriduum cum collega edidisset, Prætor est in sequentem annum designatus, & Ariminum prouinciam (ita tum Cisalpinam Galliam appellabant) habuit, ita ut duas legiones à M. Pomponio, cui succedebat, acceperit. In eo magistratu Aternum oppidum expugnauit, amplius septuaginta hominum cœpit, & æris argentiq́; signati aliquantum. Itaq; prorogatum ei in annum cum suis copijs imperium est, atq; inde in alterum, neque eo biennio quicquam gestum ab eo memoria dignũ reperio.

Biennio pòst, antequam Consul fieret, censuram obtinuit cum M. Cornelio Cethego: utq; agrum Campanum fruendum locarent, ex autoritate Patrum latum ad plebem est, plebesq́; sciuit. Senatus lectione contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. cæterum Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, ut qui primus censor ex ijs qui uiuerent fuisset, eum principem legerent (is T. Manlius Torquatus erat.) Sempronius, cui Dij sortem legendi dedissent, ius liberum eosdem dedisse Deos, se id suo arbitrio facturum, lecturumq́; Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanæ ciuitatis esse, uel Annibale iudice, uicturus esset. Cum diu certatum esset uerbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in Senatu Q. Fabius Maximus

Consul. Inde alius lectus Senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis autor deserendæ Italiæ post Cannensem cladem. In equestribus quoq; notis eadē seruata causa. Sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (et multi erant) adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiuerunt, qui equo mereri deberent, atq; ex ijs qui principio eius belli sexdecim annos nati fuerant, neq; militauerant, omnes ærarios fecerunt. Locauerunt inde reficienda, quæ circa forum incendio consumpta erant: septem tabernas, macellum, atrium regium. At uero insequenti anno (nam sesquiannalis censura erat) lustrum con didit cum collega, censa sunt ciuium capita centum triginta septem millia, centū & triginta octo: minor aliquanto numerus, quàm qui ante bellum fuerat. Triennio pòst Consul absens, cum prouinciā Græciam haberet, creatus est in insequentem annum. Nam cum neglectæ per biennium res in Græcia essent, Philippus Aetolos desertos ab Romano, cui uni fidebant, auxilio, quibus uoluit conditionibus ad petendam & paciscendam subegit pacem: quod nisi omni ui perficere maturasset, bellantem eum cum Aetolis P. Sempronius Proconsul, successor imperij missus Sulpitio, cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & triginta quinque rostratis nauibus (haud paruum momentum ad opem ferendam socijs) oppressisset. Vix dum pace facta nuncius Regi uenit, Romanos Dyrrachium uenisse, Parthenosq; & propinquas alias gentes motas esse ad spem nouandi res, Dimallumq; oppugnare (eò se auerterant Romani ab Aetolorum, quò missi erant, auxilio: irati, quòd sine autoritate sua aduersus fœdus cum Rege pacem fecissent.) Ea cum audisset Philippus, ne qui motus maior in finitimis gentibus, populisq; oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit, quò Sempronius se receperat, misso Lectorio legato cum parte copiarum, & quindecim nauibus in Aetoliam ad uisendas res, pacemq;, si posset, turbandam.

Philippus agros Apolloniatum uastauit, & ad urbem admotis copijs, potestatem pugnæ Romano fecit. Quem posteaquam quietum muros tantummodo tueri uidit, nec satis fidens uiribus ut urbem oppugnaret, & cum Romanis quoq;, sicut cum Aetolis, cupiens pacem, si posset: si minus, inducias facere: nihil ultra iritatis nouo certamine odijs, in regnum se recepit. Per idem tempus, tædio diutini belli Epirotæ, tentata prius Romanorum uoluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere, satis confidere conuenturam eam affirmantes, si ad colloquium cum P. Sempronio Imperatore Romano uenisset. Facile impetratum (neq; enim ipsius quidem Regis abhorrebat animus) ut in Epirum transiret. Penice urbs est Epiri, ibi prius collocutus Rex cum Eropo, & Darda, & Philippo Epirotarum prætoribus, postea cum P. Sempronio congreditur. Affuit colloquio & Aminander Athamanum rex, & magistratus alij Epirotarum & Acarnanum. Primus Philippus prætor uerba fecit, & petijt simul ab Rege et ab Imperatore Romano, ut finem belli facerēt, darentq; eam Epirotis ueniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Partheni, & Dimallum, & Bargulū, & Eugenium, Romanorum essent. Atintanas, missis Romam legatis ad Senatū, impetrasse ut Macedonia cederet. In eas conditiones cum pax conuenisset, ab Rege fœderi ascripti, Prusia Bythyniæ rex, Achæi, Bœotij, Thessali, Acarnanes, Epirotæ. ab Romanis Ilienses, Attalus Rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenij, Athenienses. Hæc conscripta modo consignataq; sunt, & in duos menses induciæ factæ, donec Romam mitterentur legati: ut populus in has conditiones pacem iuberet. Iusseruntq; omnes tribus, quia auerso in Africam bello, omnibus alijs in præsentia leuari uolebāt bellis. Sempronius pace facta ad consulatum Romā decessit. Quo inito (quintus decimus is annus Punici belli erat) Brutij ei prouincia (ea nunc Calabria est) ita ut nouas scriberet legiones, decreta: utq; P. Licinius prioris anni Consul, qui eam prouinciam gesserat, eandē cum duabus legionibus obtineret, quoad eum in prouincia cum imperio manere è Rep. Sempronio uisum esset. Itaq; consules delectum habe-

re institerunt, & ad nouas scribendas in Brutio legiones, & in cæterorum (ita enim iussi ab Senatu erant) exercituum supplementū. Vbi id actum, eiusq; rei ergò auxilia à colonijs acerbißime exacta, curatumq; ut collatæ à priuatis in publicum pecuniæ restituerentur, & Locrensibus post deploratas longa oratione miserias, tandē per consules rogatis patribus inter uarias sententias remediū malorum excogitatum est: egressus in Brutios prouinciam Sempronius, in agro Crotonensi per æstatem cum Annibale in ipso itinere tumultuario prælio conflixit: agminibus magis, quàm acie pugnatum est. Romani pulsi, & tumultu uerius quàm pugna, ad mille & CC. de exercitu Consulis interfectis, in castra trepidi rediere: neq; oppugnare tamen ea hostes ausi. Cæterum silentio proximæ noctis profectus inde consul, præmisso nuncio ad P. Licinium proconsulem ut suas legiones admoueret, copias coniunxit: ita duo duces, duo exercitus ad Annibalem redierunt. nec mora dimicandi facta est, cum consuli duplicatæ uires, Pœno recens uictoria animos faceret. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit: in subsidijs locatæ P. Licinij legiones. Consul principio pugnæ ædem Fortunæ primigeniæ uouit, si eo die hostes fudisset. Composq; eius uoti fuit. Fusi ac fugati Pœni, supra quatuor millia armatorum cæsa, paulo minus trecenti uiui capti, & equi quadraginta, & undecim militaria signa. Perculsus aduerso prælio Annibal, Crotonem exercitum reduxit. Eadem æstate in Brutijs iam Petilia à consule deducta, Consentia & Pandosia et ignobiles aliæ ciuitates uoluntate in deditionem uenerunt. Exacto anno, in insequentem annum ei prorogatum imperium est, ita ut in locum P. Licinij succederet: nam eódem Gn. Seruilius Cæpio cū summo imperio mittebatur. Sempronius enim bello quoq; bonus habitus, ac cætera, quibus nemo ea tempestate instructior ciuis habebatur, congestis omnibus humanis à natura fortunaq; bonis, nobilis idem ac diues erat: forma, uiribusq; corporis excellebat, facundißimus habebatur, seu causa oranda, seu in Senatu et ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset: iuris pontificij peritißimus, super hæc bellicæ quoq; laudes consulatus compotem fecerant.

fecerant. In ea prouincia, quod summum imperium cõsulis fuit, quæ gesta sunt, nequaquam Sempronio ascribuntur. Reuocatus inde Romã, biennio pòst, cum duobus collegis ad Ptolemæum Aegypti regem missus est, ut annunciarent uictum Annibalem Pœnosq́; & gratias agerent Regi, quod in rebus dubijs, cum finitimi etiam socij Romanos desererent, in fide mansisset: & peterent, ut, si coacti iniurijs bellum aduersus Philippũ Macedoniæ regem suscepissent (quod futurum uidebatur) pristinum animum erga Populum Ro. conseruaret. Alexandriam cum uenissent, peracta legatione, cum audissent à Philippo Rege Abydũ oppugnari, de collegarum consensu, M. Aemilius natu minimus ad eum uenit: questusq́; Romanorum socijs illatam iniuriam, apud superbum Regem nihil profecit. Significare uidetur Liuius, hunc Sempronium iterum censorẽ fuisse, atque ædem primigeniæ Fortunæ, quam consul uouerat, in colle Quirinali censorũ locasse: sed eam censuram à Liuio suo loco expositam non reperio. Illum uero Sophum, quem supra quasi primi F. posuimus, patrem huius non absurde existimauerim: certe ille etiam censor fuit per secundũ Punicum bellum cum M. Valerio Max. Ita tres magistri morũ continua serie ex eadem petiti domo. Illud non satis scias, ad quem horum pertineat, quod inter seueritatis exempla numeratur Sophus, qui coniugẽ repudij nota affecit, nihil aliud quàm se ignorante ludos spectare ausam.

T. CORVNCANVS.

Coruncanorũ familia Camerio oriunda, Romæ illustris fuit: ex ea ortus Tiberius, uel (ut alibi est) Titus Coruncanus, publice primus ius professus traditur. superiores enim, uelut in latenti ius ciuile retinere cogitarant, solumq́; consultoribus uacantes, haud fermè discere uolentibus se præstabant. Quin & primus de plebe Pont. Max. creatus est, quingentis circiter ab Vrbe condita annis. Sed prius annis plus minus quinq́; ac uiginti consulẽ fuisse eum cum P. Valerio Leuino apud quosdã inuenio: cuius tẽporis, quod Liuij annales deperditi sunt, sigillatim res gestas prodere nõ licet. Illud non ambigitur, cõstititq́; uel ex commentarijs pontificum, eum ingenio

plurimum

plurimū ualuisse, & peritissimum fuisse pontificem, eoq; de numero hominum, qui sapientiam cum eloquentia, quantū illa ferebant tempora (nam præ illis insecutis literarijs sæculis aspere loquebantur, sed fuere contenti eloquentia suorum temporum) coniunxere, & se ad Rempublicam gerendam dederunt. nam & ea sapientia fuit, ut ad eum de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur. Idemq; & in Senatu & apud populum, & in causis amicorum, & domi & militiæ, consilium suum fidemq; præstabat, ac quotidie solebat transuerso ambulare foro: quod erat insigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus liberaliter consilij sui copiam. ad quem olim & ita ambulantem, & in solio sedentem domi, sic adibatur, nō solum ut de iure ciuili ad eum, uerum etiam de filia collocāda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni deniq; aut officio aut negocio referretur. Huius iam tum ætate sua nullum extitisse scriptum Pomponius ait, sed complura & memorabilia fuisse responsa, quorum autoritatem Seneca quasi suo sæculo extantium citat. itemq; Cicero illud in Legibus: qui tantùndem caperet, quantum omnes hæredes, sacris alligari. Ab eisdem inter paupertatis exempla ponitur, crediturq; facile, æquales suos Curium et Fabricium singulares uiros omni uirtutum genere assecutus.

Pomponij error.

Male eum Pomponius & Fabio & Nasica posteriorem tradit, cum floruerit (si Ciceroni credimus) per Pyrrhi bella, in ipsumq; adeo consulatus eius annum prima cum Pyrrho pugna inciderit collegæ eius Valerio Leuino. Inuenio etiam apud autores, & Polybium, circa hæc tempora, cum Illyrij maria atq; Italos mercatores infestarent, cumq; id ad se antea sæpe relatum contempsissent Romani, tandem multis in senatu conquerentibus, legatos in Illyricum missos, C. et L. Coruncanos: quibus dato dicendi quæ uellent à regina Theuca tempore, de iniurijs sibi illatis disseruisse, & à Regina superbe nimium atq; insolenter auditos: cumq; illi dicendi finem fecissent, effecturam sese dixisse, ne quà ab Illyrijs iniuria publice Romanis inferretur: prohibere uero Illyrijs, ne priuatim è mari, quam quisq; possit, utilitatem capiat, haud esse regij moris. Ad ea Reginæ uerba iunior legatus intrepidè

quidem magnanimum responsum, sed non satis pro tempore dedisse fertur. At quoniam (inquit) Rom. Theuca *optimus est, priuatas iniurias publicè ulciscendi, iuuandiq; iniuria affectos, dabimus operam dijs uolentibus, ut non longe pòst regias istas consuetudines cogaris emendare.* Ad hæc Regina *temere sanè ac muliebri ingenio eò iracundiæ prorupit, ut neglecto iure gentium, cum legati reuerterentur, miserit post eos, qui iuniorem illum autorem eiusmodi uerborum obtruncarent. itaq; legatus ne gladio quidem, sed ut uictima securi percutitur. Patrato facinore, quidam alterum quoq; legatum & cæteros comites sibi ipsos manũ intulisse adijciunt. Sunt & qui legatos utrosq; cæsos, tum autorem eius iniuriæ non* Theucam *(tametsi eam probatiores tradunt) sed* Agronem *uirum eius etiam tum superstitem ferant.* Romani *summa rei in urbem perlata, bello* Illyrijs *illato & domita ac subacta latè gente, legatorum manibus litauere, statuasq; eis de more* Populus Roma. *tripedaneas (ea mensura honorata tunc erat) in foro posuit. Hæc tametsi mihi parum adhuc constent, an ab hoc* Coruncano *gesta sint, hic tamen ascribenda uisa sunt, quòd & is autor eorum esse potuit (illis enim temporibus uiguit) quamuis prænomen (ut in plærisq;) uacillet: & quod uel ad filios uel ad familiæ dignitatem pertinebant.* Neq; *fermè plura de* Coruncanis *ullis inuenias: ut credi possit, hoc reginæ scelere uniuersam gentem ad internitionem esse in ijs duobus legatis extinctã.*

M. FABIVS PAMPHILVS.

HErculem Alcidem Fabia *gens originis autorem ferebat, nomenq; à fouea, in qua ex coitu* Etruscæ *uirginis filium genuerat, seu quod is primus captandorum foueis ursorum luporumq; artem monstrauerat, principi generis* Fouio, *mutatisq; pòst literis* Fabio *inditũ proditur. Quod alij malunt à fabis (multa enim à leguminibus* Romanorum *nomina) deducere. Multa multorum* Fabiorum *egregia merita in Rempublicam extabant. Magistratum gessere, quod legerim, primum quæsturam per* Cæsonem *anno post eiectos reges quarto & uigesimo. Septem proximis, Cõsulatus in tribus fratribus* Cæsonis F. Q. Cæsone, M. *alternis, tertio* Cæsoni *addito,* con-

continuauit. Quo tempore una familia Veiens bellum ſibi priuatim depoſcere auſa, trecenti ex Fabijs re aliquandiu bene geſta, cæſi ad unum omnes, atq; unum modo propè puberem ætate Q. Fabium M. F. relictum traditur, ſtirpem genti Fabiæ, dubijsq; rebus Populi Romani ſæpe domi belliq; uel maximum futurum auxilium. His omnibus proximisq; cognomen Vibulanorũ additur, poſteri Ambuſti,

Fabiorũ cognomina.

Maximi, Gurgites, Pictores, Buteones, Licinij, Verrucoſi, Labeones, Pamphili, alijsq; prætereà cognominibus nuncupati. Perniciẽ patriæ Ambuſti penè attulerũt, cum ad Gallos Cluſium legati miſſi iniuſſu Reip. pugnauere. inde enim iritati Senones, captam urbẽ inflammarũt. Ex hac ſtirpe genus duxit Q. Fabius, quem tamen

Q. Mutius.

Pomponij plæraq; uulgata exemplaria, Q. Mutium falſò uocant. Is belli Punici ſecundi anno primo, aut ſi Polybium ſequimur, proximis antè Coſſ. duplici (ni fallor) legatione functus eſt. Nam cum Annibal Pœnus, ſerendis circà bellis, Saguntum Hiſpanam urbem contra fœdera Romanorum & Carthaginenſium uiolaturus uideretur, ac Saguntini bellum prouidentes, Legatos Romam petitũ auxilium miſiſſent, ac paulo pòſt omnium ſpe celerius Saguntum iam oppugnari allatum eſſet, P. Valerius Flaccus & Q. Fabius Pamphilus legati Saguntum ad Annibalem, atq; inde Carthaginem, ſi non abſiſteretur bello, ad ducem ipſum in pœnam fœderis rupti depoſcendum, ſimulq; ſpeculatum acta Annibalis, cui ſi uideretur digna cauſa, denuntiarent ut ab Saguntinis ſocijs Populi Rom. abſtineret, aut inde in Africam eorum querimonias deferrent, ac res ſociorum inſpicerent, miſſi ſunt. Cum in Hiſpaniam ueniſſent, duplex fama eſt: alij admiſſos ad Annibalem, quæ uoluerint, facta poteſtate, locutos denunciaſſe ſcribũt, ut à Saguntinis abſtineret, quaſi Populi Romani ſocijs: deinde ne Iberum (quod id fœdere quodam caueretur) tranſcenderet. cum reſponſo accepto appareret non deſtiturũ bello Annibalem, Carthaginem profectos. Alij obuiam legatis ad mare miſſos ab Annibale, qui dicerent nec tutò eos adituros inter totam efferatarum gentium arma, nec Annibali in tanto diſcrimine rerum operæ eſſe legationes audire. Certe Carthaginẽ profectos

conſtat,

constat, req; in Senatu acta, ijsdemq; denunciatis, perorante Valerio, parum amice responsum esse. itaq; uana atq; irrita legatio fuit. Legati Romam reuersi, hostilia omnia retulerunt. Inde nuncio expugnatæ Sagunti accepto, altera eodẽ anno legatio missa. Cuius quia Q. Fabiũ Pamphilũ uerisimile est cognitione itineris et tractatæ rei caput fuisse, hæc quoq; adscripsimus huius Fabij uitæ, cum præsertim Silius utriusq; legationis sententiã in unam concludat. Igitur ut omnia iusta ante bellũ fierent, Fabius natu grandior à Populo Rom. dux legationis cũ quatuor prouectæ ætatis collegis in Aphricã est missus, ad percunctandos Carthaginenses publico'ne cõsilio Annibal Saguntũ oppugnasset. si (id quod facturi uidebantur) faterentur ac defenderẽt pub. consilio factũ, peterẽt, ut uel Annibal in pœnam rupti fœderis dederetur Romanis, uel indicerẽt pop. Carthaginensi bellũ. Legatis, postquã Carthaginem uenerunt, cum Senatus datus esset, et Q. Fabius nihil ultrà, quàm unũ quod mandatũ erat, non sine Carthaginensiũ indignatione percunctatus esset: Hanno autẽ factionis Barchinæ princeps, Annibalis fautor, lõga oratione de iure fœderum disseruisset, ad extremũq; ita perorasset: Proinde omittite Romani mentionẽ Sagunti atq; Iberi facere, et quod diu parturit animus uester, aliquando pariat. tum Fabius legatorũ natu maximus, cũ eam de iure fœderũ disceptationẽ ut alienam à dignitate Populi Rom. atroci oratione respuisset, eã ita tolerari posse inquiẽs, si res Saguntinorũ integra esset: nũc uero excisa Sagũto, uiolatisq; iniquißime fœderibus, uel patratorẽ sceleris dedendũ Romanis, ut appareret Saguntũ publico Carthaginensiũ consilio minime oppugnatã: uel si id nollent, ac suo cõsilio expugnatã urbem faterentur, ut se ad bellũ pararent. Vbi tergiuersantes Pœnos animaduertit, uerbum nõ addidit, sed sinũ è toga factũ Senatui ostendens: Hic (inqt) uobis bellum pacemq; portamus, utrum & eligitis? utrum placet sumite. Sub hanc uocem haud minus ferociter, daret utrum uellet, uel (ut alij tradunt) bellum succlamatũ est. Fabius interim effuso in media curia sinu, bellum dare se dixit: non sine horrore, quasi planè id in sinu ferret. Accipere se illi omnes alacri uultu responderunt, & Hanno.

quibus acciperent animus, iisdem esse gesturos. Pomponius rem omnem paulo aliter explicat, sed nos uetustissimis quibusq; autoribus plurimum fidei habemus, quibus tamen ipsis hac in parte non satis conuenit. nam M. Varro tesserulas, in quibus simulachra fuerint hastæ & caducei, belli & pacis signorũ, missas Carthaginem scribit. alij hastam ipsam & caduceum. Illud inter omnes peræquè constat, datam ab eo Carthaginensibus optionem belli pacis'ue eligendæ, non acceptam ab illis, sed relatam siue Imperatori (nam & hic uariant) siue legato Romano Fabio. Cæterum ea directa percunctatio ac denunciatio belli magis ex dignitate Populi Roma. uisa est, quàm de fœderum iure uerbis disceptare, cum antè tum maximè Sagunto excisa. Legati ab Carthagine, sicut his Romæ imperatum erat, in Hispaniam ut adirent ciuitates ac in societatem pellicerent, aut auerterent, à Pœnis traiecerũt. Ad Bargusios primũ uenerunt, à quibus benigne excepti (quia tædebat imperij Punici) multos trãs Iberum populos ad cupidinem nouæ fortunæ erexerunt. Ad Volcianos inde est uentum, quorum celebre per Hispaniam responsum cæteros populos à societate Romana auertit. Ita enim maximus natu ex ijs in consilio respondit. Quæ uerecundia est, uos Romani, postulare uti uestram Carthaginensium præponamus amicitiæ, cum qui id fecerunt, Saguntinos, crudelius quàm Pœnus hostis perdidit, uos socij prodideritis. Ibi quæratis socios censeo, ubi Saguntina clades ignota est, Hispanis populis sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruinæ erunt, ne quis fidei Romanæ, aut societati confidat. Inde extemplo abire finibus Volcianorum iussi, ab nullo deinde concilio Hispaniæ benigniora uerba tulere. Itaque nequicquam peragrata Hispania, in Galliam transeunt. In his noua terribilisq; species uisa est, quod armati (ita mos gentis erat) in concilium uenerunt. Cum uerbis extollentes gloriam uirtutemq; Populi Ro. ac magnitudinem imperij, petissent, ne Pœno bellum Italiæ inferenti, per agros urbesq; suas transitũ darent: tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut uix à magistratibus maioribusq; natu iuuentus sedaretur: adeò stolida impudensq; postulatio uisa est, censere, ne in

Italiam.

Italiam transmittant Galli bellum: ipsos id auertere in se, agrosq; uos pro alienis populandos obijcere. Sedato tandẽ fremitu, responsum legatis est: neq; Romanorum in se meritum esse, neq; Carthaginensium iniuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut aduersus Pœnos sumant arma. Contrà ea audire sese, gentis suæ homines agris finibusq; Italia pelli à Populo Romano, stipendiumq; pendere, & cætera indigna pati. Eadem fermè in cæteris Galliæ concilijs dicta auditaq;. Nec hospitale quicquam pacatumue satis prius auditũ, quàm Massiliam uenerunt: ibi omnia ab socijs inquisita, cum cura ac fide cognita, præoccupatos iam ab Annibale Gallorũ animos esse. Sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore (adeò ferocia atq; indomita ingenia esse) ni subinde auro (cuius auidissima gens est) principum animi concilientur. Ita peragratis Hispaniæ & Galliæ populis, legati Romam redeunt. Haud ita multo pòst, quàm consules in prouincias profecti erant, ciuitatem omnem in expectationem belli erectam inuenerunt: satis constante fama, iam Iberũ Pœnos transisse. Cætera quæ ad hunc Q. Fabium pertinere possent, quia parum constat qui fuerit, prætermittemus. Quòd si cui forte placeat hunc fuisse Q. illum Fabium Maximũ quinquies Cos. qui Cunctator, qui Verrucosus, qui Ouicula sit dictus, qui Annibalẽ primus cessando restinxerit, quoniã è natu grandioribus missos posteriores hosce oratores scribit Liuius, efficeretur ut non idem esset cũ illo Fabio Pamphilo, qui priore legatione est missus. Mouet me etiã, quod oratorem fuisse hunc Fabium Verrucosum testatur & Cicero & Plutarchus. quod facile fieri potest, ut cum iuris cognitione iunctum fuerit. Si is igitur iureconsultus ille est Verrucosus, reliqua ad uitam eius pertinentia in unum corpus à Plutarcho collecta sunt. inde, qui uolet, petat. Fuerat autem ante secundum Punicum bellum bis consul, quorum annorum res gestas & in Liuio amisimus, neque Plutarchus attigit, sed & à Polybio atque Eutropio omnino præteriti, ut appareat in summa pace nihil memorabilis rei esse gestum. Quicunque fuerit, eum perperam Pomponius & Nasicæ postponit, & Coruncano anteuertit. Error Pomponij.

P. AELIVS PAETVS.

Pæti cognomen. *Aelia gens.* *Tuberones.*

AElia gens quanquam inter plebeias futura illustris, serò tamen ad magistratus summos admissa est, consulatum quidem non nisi centesimo circiter trigesimo à Regibus eiectis anno in sua domo uidit: auguratum aliquanto post, quo primum tempore plebi communicata sacerdotia. Cognomẽ Pæti, quod à lasciuia oculorum traxit, commune illi cum Aemilia domo (nisi uocis propinquitas deprauat codices) Papyria, Cæsonia, Fuluia, nõnullisq́; alijs fuit. Tuberones quoq;, Stilones, Galli, Aelij fuere. Neq; aliud significasse arbitror grammaticum Festum, cum ait gentem Aeliam appellari, quæ ex multis familijs cõficiatur. Quinetiã Tuberones ex Aelijs Pætis fuisse indicat Tacitus, qui Aeliã Pætinam familiæ Tuberonum ascribit. Ex Pætis orti Q. Aelio patre, eo (nisi me coniectura fallit) qui Pont. pugna Cannensi cecidit, duo fratres, exq́; uno eorum filius, celebre nomẽ in iuris scientia & Reip. administratione obtinuerunt. Horum P. Aelius Pætus, quo anno ædilis P. erat, & per triduum ludos plebeios cum collega dederat, & Iouis epulũ, Prætor creatus est: duobus Gn. Seruilijs Cepione, Gemino Coss. per bellum Punicum secundum. In eo honore urbanam iurisdictionem sortitus est. Forte eo anno Scipio, qui pòst Aphricanus maior dictus, Carthaginenses magna clade prostrauerat, ac regem Syphacem comprehenderat, eo cum primoribus Numidarum captiuis per Lælium Romam missis, Prætor coacto senatu, Lælium, quæ in Aphrica gesta essent, omnia ordine exponere patribus iubet. auditus est ingenti omnium & in præsens lætitia, & in futurum spe. Consulti inde per Prætorem patres, regem in custodiam mittendum Albam censuerunt: Lælium retinendũ, donec legati Carthaginenses uenirent. Supplicatio in quatriduũ decreta est, Prætor senatu misso, & concione inde aduocata, cum C. Lælio in rostra ascendit. Ibi uero audientes, fusos Carthaginensium exercitus, deuictum & captum ingentis nominis Regem, Numidiam omnem egregia uictoria peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibusq́; alijs multitudo solet, lætitiam immodicam significarent.

Itaq;

Itaq; prætor extemplo edixit, uti æditui ædes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi salutandiq; deos, agendiq; gratias per totum diem populo potestas fieret. Postero die legatos Masinissæ in senatum produxit. Gratulati primũ senatui sunt, quòd P. Scipio prosperè res in Aphrica gessisset. Deinde gratias egerunt, quod Masinissam non appellasset modo regem, sed fecisset, restituendo paternum regnũ: in quo post Syphacem sublatum (si ita patribus uisum esset) sine metu & certamine esset regnaturus. Deinde, quod collaudatum pro concione amplissimis decorasset donis: quibus ne indignus esset, & dedisse operam Masinissam, & porro daturum esse. petere, ut regium nomen, cæteraq; Scipionis beneficia & munera senatus decreto confirmaret: & nisi molestum esset, illud quoque petere Masinissam, ut Numidas captiuos qui Romæ in custodia essent, remitterent. id sibi amplum apud populares futurum esse. Ad ea responsum legatis datum, rerum gestarum in Aphrica prosperè, communem sibi cum Rege gratulationem esse. Scipionem rectè atq; ordine uideri fecisse, quod cum regem appellauerit: &, quicquid aliud fecerit, quod honori foret Masinissæ, ea patres comprobare atq; laudare. Munera, quæ legati ferrent regi, decreuerunt, sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, et lato clauo tunicis, equos duos phaleratos, bina equestria arma cum loricis, & tabernacula, militaremq; supellectilem, qualem præberi consuli mos est. Hæc regi prætor mittere iussus, legatis in singulos dona ne minus quina millium, comitibus eorum mille æris, & uestimenta bina legatis, singula comitibus Numidisq;, qui ex custodia missi redderentur regi: ad hoc ædes, libera loca, lautia legatis decreta. Multis præterea rebus cum felix annus fuisset, abitu præsertim Annibalis, in patriam reuocati, habito senatu conclamatum ex omni parte curiæ est, ut referret P. Aelius Prætor de gratijs dijs habendis. decretumq; est, ut quinque dies circa omnia puluinaria supplicaretur, uictimæq; maiores immolarentur centum uiginti. Paucis pòst diebus Carthaginensium legatis ad urbem Romam profectis, datóque ei senatu, cum longa excusatione crimen omne in Annibalem transtulissent,

prætor

prætor, more tradito à patribus, potestatem interrogandi legatos si quis uellet, fecit. cúmq; illi parum constanter responderant, negata pace dimissi sunt. Per eos quoq; dies Gn. Seruilius alter consulū, haud dubius quin pacatæ Italiæ penes se gloria esset (quod multæ in Brutijs urbes ad eum defecerant, ac leui quodam prælio Annibalem uicerat, secundumq; id confestim Italia reuocatus excesserat) uelut pulsum ab se Annibalem persequens, in Siciliam, inde in Aphricam transiturus, traiecit. quod ubi Romæ uulgatū est, primo censuerunt patres, ut prætor scriberet consuli; senatui æquum uideri, ut is reuerteretur in Italiam. Deinde, cum Prætor spreturum eum literas suas diceret, dictator ad id ipsum creatus P. Sulpitius, pro iure maioris Imperij consulem in Italiam reuocauit. Sequenti anno Aelius à Gn. Seruilio Gemino dictatore magister equitum est dictus ut comitia haberentur: quibus ultra solenne tempus (id erant tum idus Martiæ) per tempestates dilatis, creati tandem consules P. ipse Aelius Pœtus, & Cornelius Lentulus, qui cum cupiditate Aphricæ prouinciæ flagraret, nec quicquā prius agi pateretur, quam sibi Aphrica decreta esset: concedente Aelio moderato uiro & prudente, qui gloriæ eius certamen cum Scipione, præterquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cernebat, res ad populum agitata, postremo Senatui permissa est. Patres igitur iurati (ita conuenerat) censuerunt, uti Consules prouincias inter se compararent, sortirentúrue, uter Italiam, uter classem nauiū quinquaginta haberet, multis additis, quæ alterutrum gerere oporteret. Aelio Italia prouincia fuit, & cū collega duas urbanas legiones scribere iussus, ut quatuordecim legionibus eo anno centum nauibus longis Respub. administraretur. Eo anno finitum secundum Punicum bellum, paxq; petentibus Carthaginensibus data. Eodem anno cum Romæ de bello Macedonico consultaretur, res integra ad Aeliū Consulem, qui tunc in prælio cum Boijs erat, reiecta est. nam per id tempus P. Aelius Cos. in Gallia cum audisset à Boijs ante suum aduentum incursiones in agros sociorū factas, duabus legionibus subitarijs tumultus eius causa scriptis, additisq; ad eas quatuor cohortibus de

exercitu

conflare uellet: ipſe moriens plus millies bis centies, quod uix fidem capit, debiti nomine reliquit. qua infinita pecunia emere ipſe remp. conatus erat. Huius tribuni furore concitatis emptitijs hominibus, & igne illo concionum accenſis, quum uos omnes à comitijs & foro arceremini, uis affertur nobis Conſulibus. occiditur Q. Pompeij filius, gener meus: opprimitur Senatus: iuſta ſuffragia iniri non permittũtur. uim & arma rogationes illæ ſpectabant. Ceſſi tempori, Quirites: & ne quod naſceretur ciuile bellum, à quo ſemper ingenium meum abhorruit, quod nunquam niſi inuitus & extrema neceſſitate coactus ſuſcepi, legem perferri paſſus ſum. Legatos Marij, hominis priuati, ad meum, qui tum eſſem Conſul, exercitũ mitti permiſi. Quam iniuriam fortiſſimi illi milites non tulerunt armati, quam nos hic togati perferre cogebamur. Non reueriti ſunt legatos ſcelerum & ſeditionũ, legatis hominis priuati, & uenditi ac mãcipati tribuni. Mihi ſuo Imperatori exercitus, ipſe & Romanæ legiones, Romana ſigna, diſciplina & ſacramentum militare imperarant, ut cõſularis imperij tuerer dignitatem, Senatũ autoritati ſuæ redderem, bonis omnibus ſalutem & libertatem afferrem, hanc urbem & communẽ patriam ſeruarem: ne ſinerem illam paucorum flagitioſis manibus lacerari, pedibus cõculcari, armis excindi. ſe ad eam nauãdam operam bono & fideli exercitu uterer. Ita armatus ad hanc ciuitatem liberandã acceſſi: fuitꝗ meus ille aduentus incruentus, proſperus, ſalutaris. nam leui conflictu fuſis fugatiſꝗ ope deûm aduerſarijs, remp. libertatem, imperium, dignitatem, patriã, uitam, ſalutemꝗ ueſtrum omnium, Quirites, recuperaui, et cõſeruaui. creatiꝗ cõſules Gn. Octauius & C. Cinna, ut Senatui promitterent ac iurarent iuſſi, me

absente nihil noui moliturum, nihil contra patriam, libertatemq; contra ocium & quietem huius urbis atq; Italiæ moturum. Hunc in modum composita repub. Consulibus ac Senatui in primis credita & cōmendata, fideiq; & illorum & uestræ commissa, ad ulciscendas Mithridatis in nos iniurias, ad abolendum imperij dedecus profectus sum. cuius belli nondum quenquam uestrum pœnitet. Credo meis in illa terra gestis rebus, nihil de gloria huius imperij decessisse. Si permansisset in fide Cinna, si non magis suam potentiam quàm patriam dilexisset, confecissem indubiè totum illud bellum. Athenas sine ullius militis iactura cepissem, Mithridatem ipsum ante meum currum uictum uinctumq; spectassetis. deq; eo fuisset uobis potestas, cui aliquando de tot nostris ciuibus fuerit. Verū quod id non sit à me perfectum, Cinnæ & Mariorum probitati pietatiq; acceptum referendum est. Cōcitat Cinna in bellum totam Italiam, reuocat ex Affrica Marios, infert huic urbi & communi patriæ infesta signa, occidit medio foro collegam suum Cōsulem po. Ro. Cornelium uero Merulam flaminem dialem sanctiss. uirum, suffectum in locum suum, ad uoluntariā adigit mortem, quam erat alioqui post paulum sensurus inuitus. fit impetus in hanc ciuitatē, contrucidantur omnia, affliguntur, diruuntur, incendūtur. Sequenti anno nullis populi suffragijs, nulla Senatus autoritate euersis legibus, moribus, institutis patriæ, Marius & Cinna se ipsi Consules creant. Sed dicā de his alio loco. nunc enim alias ad res festinat oratio: quæ explicari non possent, nisi eò per hos gradus uenirem. Et quum mortuo Mario sene, pro uno illo tot consurgerent Carbones, Norbani, Sertorij, & ille sæui lupi sæuissimus catulus Marius iunior, proq; una sica tot in remp.

Mithridaticum bellū.

C. Cor. Cinna.

Marius iunior.

remp. diſtringerẽtur, nec finis ullus fieret cædẽdi optimos quoſq;, obterendi & extirpandi libertatem omnem, & dignitatem huius reipub. confugientibus ad me bonis omnibus, quod tum exercitũ haberem, qui aſſerere & uindicare patriam in priſtinam lucem atq; ſplendorẽ poſſet: uocante me alta & clara uoce patria ipſa, implorante cum ingẽti fletu ac gemitu opẽ meã: ſuſtinere nõ potui, ut tantũ nefas, impiumq; ſcelus cõmitterem, ut cum ipſe ab ea uitam, honores, exercitũ, imperium accepiſſem, non illi in ſua maxima neceſſitate, in extremo diſcrimine opem ferrem, gratiã referrem, ſuas illi copias militesq; reſtituerem. Nam cuius dementiæ atq; inſaniæ fuiſſet, imò uero cuius immanitatis & ferrei pectoris, de honore, gloria, imperio patriæ cum extremis gentibus decertare: ipſam patriam graui ſeruitio ſinere premi, crudeliter diuexari, atrociter euerti, maximos labores adire: ut honorati & potentes eſſent ciues, qui continuò poſt nulli erant futuri. Cõditionibus itaq; non inhoneſtis illis quidem nobis, ſed minime certe talibus, quales confeciſſem nulla neceſſitate preſſus, cũ Mithridate trãſactis, ut patrio regno cõtentus cederet ijs regionib. quas occuparat, ſeptuaginta inſtructas naues daret, duo millia talenta Pop. Ro. tributi nomine pẽderet, exercitu cõfeſtim in naues impoſito, Italię et huic urbi lucẽ quandã oſtẽdi, & ſpẽ afflictis ac propè acciſis oſtẽdi rebus. Ad primũ enim mei aduẽtus rumorẽ necari miſeros ciues deſitũ eſt: et apud quos charitas ciuiũ, amor patriæ nihil ualebat, eos timor aliquantũ repreſſit, ac retardauit. Ita erexi eos, qui deſpõſis animis omnẽ ſpem abiecerãt futuræ ullius poſthac reip. ac libertatis. conſentientibusq; mecũ & adiuuantibus Metello, Põpeio, Craſſo, Hortenſio, Philippo, Catulo, Lucullis, Seruilijs, denique

optimo quoq;, & ciuitatibus Italiæ permultis, recuperauimus patriam Quirites, imperium, libertatem, dignitatem: extorsimus ex manibus illorum uitas bonorum omnium, penates, templa deûm, sacra, fortunas nostras, nosipsos, liberos nostros, coniuges nostras. quæ omnia erant iam illi inter sese ad prædã, libidinẽ, auariciam, direptionem, ad omne flagitij, crudelitatis, sceleris genus partiti. At de ijs tantis rebus nemo loquitur. loquuntur omnes de nescio quot nefarijs hostibus, qui uelut piaculares hostiæ dijs immortalibus pro salute huius imperij immolati sunt: quîs incolumibus hæc respub. incolumis esse non poterat. At dicet aliquis: Ciues illi erant. Ego uero id nego, Quirites. At hîc erãt nati. quasi uero referat, ubi sit quisq; natus, magis quàm quo animo se ac mẽte gerat. Ego potius

Ciues qui.

ciues credam, Quirites, eos qui in extrema Scythia nati, bene de hac communi patria nostra cogitant, quàm qui ad Carinas, aut ad Pila Horatia, aut in hoc isto foro, uel ipso Capitolio genitus & educatus, locũ, libertatem, gloriam in qua natus est, per summum scelus perdere & uelit & conetur. Ciues tu mihi putas eos, qui hanc suam esse ciuitatem ipsi non putant? Cur igitur hostis Annibal? cur Pyrrhus? si ciues illi? an cum Annibale & Pyrrho de uita dimicauimus, & non de imperio? At cum istis nulla de imperio mentio, fortunas uitamq; omnium nostrorum impetebãt: direptio bonorum, fuga, exilium, cruor, cædes ciuium, casus et ruina totius urbis erat futurum præmium uictoriæ illius. quod ne consequuti sint, amore singulari deûm erga uos, & mea uirtute, Quirites, effectum est. Verum illud male habet multos, quod quorundam fratres, filij, affines, necessarij occiderint. Vultis uos ergo filios fratresq; uestros impune latrocinari? uim

& manus patriæ inferre? Quin igitur succensetis legibus? quæ de eiusmodi ciuibus quæstiones constituunt. quin iudicijs? in quibus exercentur quæstiones, iudicibus? qui condemnant. ministris iudiciorum? qui rem iudicatam exequuntur. Quanquam non desunt, qui his infesti sint, qui quum magis priuatis affectibus trahuntur, quàm publicis legibus: iuri, æquitati, iudicibus irascuntur, nullaq; esse cuperent. Quum ne ille quidem mali ciuis parens, aut frater, aut gentilis, aut amicus uiuat, & sua tueri ac conseruare possit, nisi permittat malum uirum ea pati, quæ leges iubent. Boni, inquis, fuere aliqui ex ijs, qui desiderantur. Non negarim, & illos mediusfidius interijsse dolet. Vtinam fieri potuisset, ut essent à malis segregati, magna mihi fuisset utilitas, magna laus illis seruandis. Sed ita erant coniuncti cum malis, & connexi, ut cum malorum casu necessario & illis fuerit cadendū. nec his saluis mali perire potuissent. Proinde ut tāta mali uis extirparetur, necesse fuit paucos aliquot bonos tolli. Conferte nunc lumina huius ciuitatis, quæ Marij, & Carbo, & Cinna, & Norbanus, & Damasippus, & Fimbria extinxerunt: cum liceret illis cum bona uenia & gratia esse in hac repub. saluis, etiam honoratis. Conferte quæso Quirites, cum ijs, quæ ego coactus feci, ne omnes uno interitu concideremus. Ac ne quis ea, quæ inimici pessima esse dicunt, ego sapientibus uiris pro repub. facta esse uisum iri certo scio, me dissimulare uelle credat, prius de me ipse dicā: ut quum de utrisq; audieritis, quumq; omnia fuerint uobis exposita, clara, atque perspicua, tum demum censere & iudicare de singulis recte possitis. Nihil enim aliud præter res ipsas nudas uobis proponam. Fuit prior illa mea uictoria tam incruen-

Boni nō uiuerent, nisi punirentur mali.

ta, ut perpauci in ea ceciderint, atq; ij omnes pugnantes. In secunda interiere aliquãto plures, non mea culpa, Quirites, sed pertinacia inimicorum, qui cæcis & obstinatis animis hanc urbem funditus euellere atque extirpare pergebant, malebantq; contra patriam pugnantes mori, quàm in salua atq; integra patria uitam agere. Nec mirum esse debet, aut cuiquam dolendũ, quum illi bonos omnes perdere niterẽtur, me paucos, ipsos pessimos, ut infiniti boni seruarẽtur, perdidisse. An fortasse uolebatis, ut quum illi impetum fecissent in Senatum, ciues omnes uelut pecora quotidie trucidarent: me contra ius omne atque bonum, hostem patriæ meæ, pro qua bellum gerebam, & de qua eram tam bene meritus, pronunciassent: liberis meis, & uxori Metellæ, talis uiri filię, uix patuerit ex hac urbe ad mea castra effugium: aduersus me in Italiã cum uictoria & gloria, cum magna bonorum multitudine redeuntẽ, tot legiones, tot exercitus feri, & magna ex parte barbari, armarẽt: uolebatis in his tãtis malis, ut ego meipsum in primis, deinde alios omnes, qui meæ sese cõmiserant fidei, & crediderãt, tacentes quietosq; iugulandos Mario, Carboni, Norbano, Scipioni tradidissem: hanc ipse patriam gladiatoribus illis prodidissem: qui hoc occultis consilijs agebãt, ut excisa hac urbe, deleto imperio, orbem ipsi inter se partirentur, figerentq; unusquisq; sedem regni sui ubicunq; uisum esset: Marius Arpini & in Italia, Scipio in Gallia, Sertorius in Hispania, Carbo in Sicilia, Brutus in Affrica, Norbanus Rhodi, & in illa Græcia. Quid quod ipse etiam cum tam sceleratis et uastis hominibus uiuere intra eadem mœnia non recusassem, modo id cum magna quidem meæ dignitatis, sine ulla tamen patrię iactura fieret. In potestate Senatus futurum me exercitumq;

tumq;

tumq; meum sum professus, ac spopōdi: si tam multis bonis uiris, qui ad me uelut ad portum ex tam misera tempestate, ad unam salutis aram ex tot malis confugerant, sua ciuitas, ex qua iniurijs & iniquissima ui erant expulsi, restitueretur. At Marius, Carbo, Norbanus meos legatos, qui amorem, pacem, concordiā ciuium afferebant, tanq; nefarios latrones, tanq; sceleſtos insidiatores uiolandos contra ius gentiū censuerunt, & uiolarunt: quum in hac urbe etiam Gallorum & Pœnorū legati, bellum denunciantes, fuerint semper sacrosancti. Hęc omnia paratus eram obliuisci, & gesto iam magna ex parte bello quum Scipionē à me captum dimitterem, illum precatus sum, ut ad Norbanum collegam suum iret, eumq; hortaretur, ut uerbis potius legibusq; cum ciuib. decertaret, quàm armis. postularet æqua, & ferret. qualemcunq; inter nos pacem omni bello esse potiorē. Hæc ipsi quidem omnia spreuerunt, ac repudiarūt: Dei uero immortales, Quirites, iustæ ac piæ causæ fauerunt, & numine ac maiestate sua ostenderunt, quæ sibi partes plus placerent. quibus nihil placet, nisi optimum & æquissimū. Magna est hanc meam præclarissimā uictoriam inuidia cōsecuta: sentio, et suprà quàm dici possit, dolet, Quirites. sed nunquam tantę mihi impietatis cōscium me esse sustinuissem, ut non impijs & nefarijs illorū consilijs obuiam irem, quantācunq; ingratorū ciuium inuidiam subiturus. Proinde lacerent me suis maledictis, insectentur odio, uocent in inuidiam: nunquā pœnitebit me ea fecisse, quæ feci. Dicam quāta maxima potero uocis contentione, ut quod uniuersus orbis fama & auditione cognouit cæci & surdi, & ingrati mei ciues exaudiant, me dicente. Ego uos omnes morti destinatos, ego hanc urbem igni atq; ruinæ attributā & designatam

Pax qualiscunq; inter ciues bello potior.

Megalesia.

ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus succedentes deinde aliæ alijs, omni effusa ciuitate obuiam, thuribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atq; accenso thure, precantibus ut uolens propitiaq; urbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere Deam pridie Idus Aprilis, isq; dies festus fuit, populus frequens dona Deæ in Palatio tulit, lectisterniumq; & ludi fuere Megalesia appellata. Alibi Liuius ab ipso Nasica delatam Romam à mari Deam in Palatium scribit, quod tamē opera mulierum, præeunte ipso, quasi ab eo factum intelligi potest. Quidam addunt, Deam ab ipso priuatis etiam ædibus exceptam. Decennio inde prætor factus (nihil enim inter hæc scriptū de eo comperi, nisi is fuerit, qui quinq; antè annis triumuir ad supplendum Venusinis colonorum numerum cum C. Terētio Varrone T. Quintio Flaminio est datus, colonosq; ascripsit, quod & ad Aphricanum pertinere potest. Nam uterq; P. Cornelius Scipio dicebatur. neq; est aut Aphricani, aut Nasicæ agnomen additum, ut celebriorem accipi Aphricanum par sit) ulteriorē Hispaniam sorte obtinuit. Ibiq; trans Hiberum multa secunda prælia fecit. Quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc gessit. Postero anno Proprætor Lusitanos peruastata ulteriori prouincia cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere aggressus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, superior alijs. Nam et acie frequenti armatis aduersus longum & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere occurrerat. tertia namq; uigilia exierant hostes, huic nocturno itineri tres diurnæ horæ accesserant, nec ulla quiete data laborem uiæ prælium exceperat. Itaq; principio pugnæ uigoris aliqd in corporibus animisq; fuit. et turbauerāt primò Romanos, deinde æquata paulisper pugna est. In hoc discrimine ludos Ioui, si ui fudisset excidissetq; hostes, Pro prætor uouit. tandem gradū Romani acrius intulerunt, cessitq; Lusitanus, deinde prorsus terga dedit: & cum institissent fugientibus uictores, ad duodecim millia hostium sunt cæsa, capti quingenti quadraginta, omnes fermè equites, & signa militaria capta cen-

tum triginta quatuor, de exercitu Romani septuaginta & tres amissi. Pugnatum inde haud procul Ilipa urbe est, eò uictorem opulentum præda exercitum P. Cornelius reduxit. ea omnis ante urbem exposita est, potestasq; dominis suas res cognoscendi facta. cætera uendenda quæstori data, quod inde redactum est, militi diuisum. Quæ res eo opportuniores euenere, quod Sex. Digitius citerioris Hispaniæ prætor crebra aduersa prælia fecerat, et dimidium acceptorum militũ amiserat, ut nisi Scipio Hispanos contudisset, omnis Hispania sublatura animos fuerit. Inde Romam reuersus, in maximo consulatus ambitu, competitore ex Patricijs L. Quintio Flaminio, & C. Mallio Volsone in Campum descendit. Sed omnium oculi in Quintium & Cornelium coniecti. nam & in unum locum tendebant Patricij ambo, & rei militaris gloria recens utrunq; commendabat. Cæterum ante omnia certamen accendebãt fratres candidatorum, duo clarissimi suæ ætatis Imperatores. maior gloria Scipionis: & quo maior, eo propior inuidiæ. Quintij recentior, ut qui eo anno triumphasset. Accedebat, quod alter decimum iam propè annum assiduus in oculis hominum fuerat. quæ res minus uerendos magnos homines ipsa satietate facit. Consul iterum post deuictum Annibalem, Censorq; fuerat. In Quintio noua & recentia omnia ad gratiam erant, nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat. Pro fratre germano, nõ patruele, se petere aiebat: pro legato & participe administrati belli, se terra, fratrem mari rem gessisse. Is obtinuit, ut præferretur candidato, quẽ Aphricanus frater ducebat, quem Cornelia gens, Cornelio Consule comitia habente, quem tantum præiudicium Senatus, uirum è ciuitate optimum iudicatum, qui matrem Idæam Pessinunte uenientem in urbem acciperet. L. Quintius & Gn. Domitius Aenobarbus Coss. facti: adeò ne in plebeio quidem Consule, cum pro C. Lælio niteretur, Aphricanus ualuit. Sequentis tamen anni cõsulatum in magna rursus competitorum contentione accepit, ut delatum priore anno tali uiro, non negatum honorem appareret. Inito magistratu, Consules à Patribus priusquam de prouincijs agerent, res diuinas facere maiori-

bus hostijs iussi sunt in omnibus phanis, in quibus lectisternium maiore parte anni fieri solet, precariq;, quod Senatus de nouo bello in animo haberet, ut ea res Senatui Populoq; Romano bene atq; feliciter eueniret: ea omnia sacrificia læta fuerũt, primisq; hostijs perlitatum est, & ita aruspices responderunt. Eo bello terminos populi Romani propagari, uictoriam ac triumphum ostendi. Hæc cum renunciata essent, solutis religione animis, Patres rogationem ad populum ferri iusserũt, uellent iuberent'ne cum Antiocho rege, quiq; sectam eius secuti essent, bellum iniri. Si ea perlata rogatio esset, tum, si ita uideretur Consulibus, rem integram ad Senatum referrent. P. Cornelius eam rogationẽ pertulit. Tum Senatus decreuit, ut Consules Italiam & Græciã prouincias sortirentur. Cui Græcia euenisset, ut præter eum numerum militum, quem P. Quintius in eam prouinciam ex autoritate Senatus scripsisset imperasset'ue, eum exercitum acciperet, quem M. Bebius prætor anno priore ex S.C. in Macedoniam traiecisset: & extra Italiam permissum, ut si res postulasset, auxilia ab socijs ne supra V. millia numero acciperet. L. Quintium superioris anni Consulem legari ad id bellum placuit. Alter Cos. cui Italia prouincia euenisset, cũ Bois iussus bellũ gerere utro exercitu mallet ex duobus, quos superiores Coss. habuissent, alterũ ut mitteret Romã, eæq; urbanæ legiones essent paratæ, quò Senatus censuisset. His ita in Senatu, ad id quæ cuius prouincia foret, decretis, tum demũ sortiri Consules placuit. Attilio Græcia, Cornelio Italia euenit. Certa deinde sorte, Senatusconsultũ factũ est, quod Populus Romanus eo tẽpore duellũ iussisset cum rege Antiocho esse, quiq; sub imperio eius essent, ut eius rei causa supplicationem imperarent Consules. Supplicatio paulo pòst ab duobus Consulibus edicta per biduum fuit. Cum instaret in Græciam & Antiochum regem Syriæ bellum, adeò in apparatum curamq; eius belli ciuitas intenta fuit, ut P. Cornelius Consul ediceret, qui Senatores essent, quibusq; in Senatu sententiam dicere liceret, quiq; minores magistratus essent, ne quis eorũ ab urbe Roma longius abiret, quàm unde eo die redire posset: ne ue uno tempore quinque

Senatores ab urbe Roma abessent. Deinde, priusquam in prouinciā suam ab bellum, quod cum Boijs gerendum erat, in Cisalpina Gallia proficisceretur, postulauit ab Senatu, ut pecunia sibi decerneretur ad ludos, quos prætor in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ uouisset. Nouum atq; iniquum postulare est uisus. Censuerunt ergo, quos ludos inconsulto Senatu ex sua unius sententia uouisset, eos uel de manubijs, si quam pecuniam ad id reseruasset, uel sua ipse impensa faceret. Eos ludos per dies decē P. Cornelius fecit. Per idem ferè tempus ædes matris magnæ Ideæ dedicata est, quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia in Palatium à mari detulerat. Locauerant ædem faciendam M. Liuius C. Claudius Censores, M. Cornelio T. Sempronio Coss. Tertio decimo anno posteaquàm locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus, ludiq; ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est autor, Megalesia appellatos. quidam ab ipso Nasica factam dedicatamq; ferunt.

Megalesia. *Cum adhuc Romæ maneret, nunciatis prodigijs, iussus à Senatu est, ut quibus dijs quibusq; hostijs edixissent Decemuiri, sacrificaret. Placatis dijs nunc uotis rite soluendis, nunc prodigijs expiandis, in prouinciam proficiscitur, atque inde Gn. Domitium pro consulem dimisso exercitu Romam decedere iußit. Ipse in agrum Boiorum legiones induxit, ac duobus ferè post mensibus cum Boiorum exercitu signis collatis egregie pugnauit. Duodetriginta millia hostium cæsa Antias Valerius scribit, capta tria millia & quadringentos, signa militaria CXXIIII. equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septē. ex uictoribus mille quadringentos octoginta quatuor cecidisse. Vbi in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperatior est. Magnam tamen uictoriam fuisse apparet, quod et castra capta sunt, & Boij post eam pugnam extemplò dediderunt sese, & quod supplicatio eius uictoriæ causa decreta ab senatu, uictimæq; maiores cæsæ. Inde primò obsidibus à Boiorum gente acceptis, agri parte ferè dimidia eos multauit: quo, si uellet, Populus Romanus coloniam mittere posßit. Inde Romam ut ad triumphum haud dubiū*

decedens

decedens, exercitum dimisit, & adesse Romæ ad diem triumphi iussit. Ipse postero die, quàm uenit, senatu in ædem Bellonæ uocato, cum de rebus ab se gestis disseruisset, postulauit, ut sibi triumphanti liceret in urbem inuehi. P. Sempronius Blæsus Tribunus plebis non negandum Scipioni, sed differendum honorem triumphi censebat: bella Ligurum Gallicis semper iuncta fuisse, eas inter se gentes mutua ex propinquo ferre auxilia. si P. Scipio deuictis acie Boijs, aut ipse cum uictore exercitu in agrum Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minutio misisset, qui iam tertium ibi annum dubio detineretur bello, debellari cum Liguribus potuisse. nunc ad triumphum frequentandum deductos esse milites, qui egregiam nauare operam Reip. potuissent: possent etiam, si senatus quod festinatione triumphi prætermissum esset, id restituere, differendo triumpho, uellet, iuberent Cos. cum legionibus redire in prouinciam, dare operam ut Ligures subigantur. Nisi illi cogantur in ius ditionemq́; populi Romani, ne Boios quidem quieturos: aut pacem aut bellum utrobiq; habenda. Deuictis Liguribus, paucos post menses proconsulem P. Cornelium multorum exemplo, qui in magistratu non triumphauerunt, triumphaturum esse. Ad ea Consul, neq; se Ligures prouinciam sortitum esse ait, neq; cum Liguribus bellum gessisse, neq; triumphum de ijs postulare. Q. Minutium confidere breui subactis ijs merito triumphum postulaturum, atque impetraturum esse: se de Gallis Boijs postulare triumphum, quos acie uicerit, castris exuerit, quorum gentem biduò post pugnam totam acceperit in deditionem, à quibus obsides abduxerit pacis futuræ pignus. Verum enimuero illud multo maius esse, quod tantum numerum Gallorũ ceciderit in acie, quod cum tot millibus certe Boiorum nemo ante se imperator pugnauit, plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæsam, multa millia capta, senes puerosq́; Boijs superesse. Itaque id quenquam mirari posse, cur uictor exercitus, cum hostem in prouincia neminem reliquisset, Romam uenerit ad celebrandum Cos. triumphum. Quorum militum si & in alia prouincia opera uti Senatus uelit, utro tandem modo promptiores ad aliud

periculum nouumq; laborem ituros credat, si persoluta ijs sine detractione prioris periculi laborisq; merces sit? an si spem pro re ferentes dimittant, iam semel in prima spe deceptos? Nam quod ad se attineat, sibi gloriæ in omnem uitam illo die satis quæsitum esse, quo se uirum optimum iudicatum ad accipiendam matrem Idæam misisset Senatus. hoc titulo, & si nec Consulatus nec triumphus adijcitur, satis honestam honoratamq; P. Scipionis Nasicæ imaginem fore. Vniuersus Senatus non ipse modò ad decernendum triumphum consensit, sed etiam tribunum ple. autoritate sua compulit ad remittendam intercessionem. P. Cornelius Cos. triumphauit de Boijs. In eo triumpho Gallicis carpentis arma signaq; & spolia omnis generis transuexit, & uasa ænea Gallica, & cũ captiuis nobilibus equorum quoq; captorum gregem traduxit, aureos torques transtulit M. CCCCLXX. ad hæc auri pondo CCLV. argẽti infecti factiq; in Gallicis uasis non infabre suo more factis, duo milia CCCXL pondo: bigatorum numûm CCXXXIIII. militibus, qui currum secuti sunt, centenos uicenos quinos asses diuisit: duplex centurioni, triplex equiti. Postero die, concione aduocata, de rebus à se gestis, et de iniuria tribuni, bello alieno se illigantis, ut suæ uictoriæ fructu se defraudaret, cum disseruisset, milites exautoratos dimisit. Habitis inde comitijs sub anni exitũ, Consules L. Cornelium Scipionẽ, quem ipse competitorẽ in consulatu habuerat, C. Lælium creauit. Biennio inde censuram cum multis magnæ dignitatis uiris cum petisset, repulsam tulit. Iterumq; quinquennio pòst petitam cum octo competitoribus, haud obtinuit. Anno proximo triumuir ad Aquileiam coloniam Latinam deducendã creatus, et cum T. Quintio Flaminio, ac L. Scipione Asiatico ad Prusiam Bithyniæ regem est missus, ut quidam autores sunt: nam uariant. satis constat in gratiã Populi Romani contendente legatione, effectum à Prusia, ut Annibal Pœnus imperator, qui apud eũ forte tum erat, obsceptis præsidio militum omnibus cubili exitibus, sumpto ueneno occumberet. Biennio pòst Nasica cum collegis coloniam Aquileiam deduxit tria millia peditũ, quibus data quinquagena iugera, centurionibus centena, centena

tena

tena quadragena equites acceperũt. Intercesserãt anni undecim, cũ Hispanis, qui per legationẽ se spoliatos uexatosq; à magistratibus Ro. apud senatum querebãtur. Facta ab eo potestas est: ut apud datos recuperatores quatuor patronos eligerẽt, qui suã causam tuerentur. Dissensione inter duarũ prouinciarũ legatos orta, citerioris Hispaniæ populi M. Porciũ Catonem et Nasicã sumpserũt patronos, ulterioris L. Paulũ et C. Sulpitium, ac duobus prætoribus repetundarum reis in exiliũ expulsis, cæteri silentio obliterati, in futurũ Hispanis consultũ ab Senatu. P. is noster Nasica Iurisperitus, maiorẽ natu è duabus P. Aphricani maioris patruelis sui filiã, à patre collocatã in matrimonio habuit. Huic etiã publice domus in Sacra uia data est, quo facilius consuli posset. Huius esse arbitror illud dictũ, simulatione stultitiæ bellũ. Cum enim ad poëtã Ennium uenisset, eiq; ab hostio quærenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, & illum intus esse: paucis pòst diebus cum ad Nasicã uenisset Ennius, et eum à ianua quæreret, exclamat Nasica, se domi non esse. tum Ennius, Quid? ego nõ cognosco uocem (inquit) tuam? hic Nasica, Homo es (inquit) impudens: ego, cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi, te domi non esse: tu mihi nõ credis ipsi? Iuuat post iocos inserere hoc loco ueteris paupertatis cũ summa gloria coniunctæ exemplum. Sororẽ is Nasica habuit, cuius iam adultæ uirginis dotem cum pater Hispaniæ præfectus Senatui scripsisset sine se expediri non posse, ac proinde peteret, ut sibi successor mitteretur: Senatus ne Resp. bono duce careret, patris sui partes desumpsit, consilioq; uxoris ac propinquorũ Scipionis cõstituta dote, summã eius ex ærario erogauit, ac puellã nuptui dedit. dotis modus quadraginta millia æris. Qua parsimonia uixisse tum priuatos putemus, cum Ro. Resp. quæ iam tũ uniuersam Italiam, Hispaniam, Siciliã, Sardiniam, & circumiectas insulas numerabat in censu, haud amplius quàm aureos nostrates CCCC. filiabus suis in dotem daret? Plinius de nostro hoc scriptũ reliquit, bis in toga candida à populo repulsa notatum esse: quod potest ad illas duas censuræ, quas diximus, petitiones pertinere: tametsi antea quoq; in petitione

Consulatus

Consulatus semel repulsus erat. Sed quod adiungit, non licuisse ei in patria mori, uereor ne per errorem ex alio Nasica ortū dixerit. nam ille Gracchanæ cædis inuidia cedere Italia coactus, apud Pergamum Asiæ interijt. Plures enim (ne quid cuipiam forte prætentū à nobis in huius uita uideatur) post hunc fuere Nasicæ cognomine. primus ille, quem appellatum Corculum ait Cicero, qui bis Consul & censor fuit, & habitus est eloquens. Quem ego propè est ut huius nostri filium existimem, licet eum cum hoc iurisperito Cotta Mediolanensis eundem esse falsò tradat. Inde Nasica Serapion, qui Gracchum perculit, quem nepotem, et alium inde P. Nasicam, qui Iugurthæ bellum indixit. quem pronepotem fuisse puto ex Bruto Ciceronis. Ostendit id Paterculus planißime libro posteriore, cum de occisore Gracchi loqueretur: P. Scipio Nasica (inquit) eius qui optimus à Senatu iudicatus erat, nepos, eius, qui Censor porticus in Capitolio fecerat, filius: pronepos autem Gn. Scipionis celeberrimi uiri, P. Aphricani patrui. Tametsi falsò scriptum est patruus apud Paterculū. Hoc in genere etiam à Val. Maximo peccatum est, qui putauit eundem esse hunc nostrum Nasicam cum eo, qui Cos. Iugurthæ bellum indixerit, et qui multas & pestiferas seditiones oppresserit, qui aliquot annos princeps Senatus fuerit. Itaq; non uidet Valerius, duorum triumue hominum ac forte quatuor res in unum congeri, & Consulatus annorum inter se octuaginta interuallo distantes, in unum hominem conferri. Sed & quod addit de repulsa, uereor ne non ad hunc pertineat, eiusq; errorem forte secutus sit & Plinius in uniuersa illa laudatione. Id uero tale est, nā adscribere in incertum libuit: Cum ædilitatem curulem adulescens peteret, ac manum cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circunstantibus exceptum, ad populum manauit, causamq; repulsæ Scipioni attulit. Omnes namq; rusticæ tribus, paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suam aduersus contumeliosam eius urbanitatem distrinxerunt. Igitur ciuitas Romana, nobilium iuuenum ingenia ab insolentiā

Nasicæ plures.

Paterculi et ualerij locus.

insolentia reuocando, magnos & utiles ciues fecit, honoribusq; nõ patiendo eos à scurris peti, debitum autoritatis pondus adiecit. Ne *illud quidem omittendum, in quorundam breuiarijs nostrum hunc* M. *dici non* P. *quod ego magis mendo librarij quàm autoris mendacio factum interpretor.* Hæc *sunt, quæ de* Nasica *uiro optimo ab optimis relata autoribus inuenias.* Cæterum, *quia* Cicero *coniecturam præbet, & autor leuis opusculi de Viris illustribus planè indicat, iuris scientia excelluisse illum, qui propter hanc cognitionem & eloquentiam et prudens ingenium sit cognominatus* Corculum, *quem nos suprà huius uiri optimi filium fuisse ostendimus (licet eundem cum patre filiũ idem autor inscite faciat.) sit ut uerear ne* Pomponius *patrem pro filio in hunc censum retulerit, utq; ea quæ sparsim de* Nasica Corculo *apud autores leguntur, tanquam ad* Nasicã Iurisperitum *uel suo nomine magis, uel patris non multo minus pertinentia duxerim colligenda.* Sed *illud in primis testatũ relinquam, quæcunq; apud autorem Liuianæ epitomes libro* XLVII. XLVIII. XLIX. *scripta sunt de Scipione* Nasica, *nos à* Corculo *gesta esse existimare, quamuis autor ille ea ex professo Scipioni uiro optimo à* Senatu *iudicato ascribat.* Mouet *me, quod ad illa usq; tempora peruenisse non opinor uirum optimum: futurum, si peruenisset, supra octuagenarium, cum tamen non sit eius senectus celebris: & quod, si eas res* Corculo *adimas, nihil relinquetur, quod ab eo in tantis honoribus gestum scripsisse* Liuius *dici posit, quod quidẽ in illam epitomen sit relatũ. quod mihi uerisimile non sit.* Hæc *autem ferè sunt.* Priore Consulatu Dalmatas *domuit. addit* Appianus & Scordiscos *gentem* Illyricam, *à* L. Scipione *propè ad internitionẽ esse deletam, ipsum deinde cum* Medis & Dardanis *sacri auri, quod illi expoliatis templis atq; oraculis prædati fuerãt, pactione corruptum icisse fœdus, quæ sacrilegij contagio* Rempublicam *deinde perpetuis ciuilibus bellis ad tyrannidem usq; inuoluerit: quod tamen à* Corculone, *qui* P. *non.* L. *fuerit, gestum sit, nondum satis constitutũ habeo.* Vt Corculo *attribuam, facit, quod* Scriptor *uirorum illustrium ab eo* Consule *expugnatum tradit* Delminium *urbem* Dalmatarum,

Error autoris de uiris illustribus.

Error Pomponij.

Error autoris Liuianæ epitomes.

additaq; imperatoris nomen à militibus, et triumphum à Senatu oblatum recusasse. Illud igitur certius quod traditur, cum in finibus Carthaginensiũ maximus Numidarum exercitus, Archobazane duce Syphacis nepote, diceretur esse, & M. Cato suaderet, ut Carthaginensibus, qui exercitum specie contra Masinissam regem, sed re uera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur, contrà dixisse Nasicam, effectumq́;, ut legati mitterentur Carthaginem, qui specularentur quid ageretur: quibus missis, neque satis benigne acceptis, cũ Gulussa Masinissæ filius denunciasset Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui, Catone suadente, ut ijs bellum indiceretur: Nasica dixit, nihil temere faciundum. Itaq; rursus legati exploratum missi. qui cum reuersi legationem retulissent, Catone & alijs principibus Senatus suadentibus, ut in Aphricam confestim transportaretur exercitus: Nasica sententiam dixit, nondum sibi iustam causam belli uideri, quamuis exercitus & classis Carthagine deprehensa esset. Itaque placuit, ut bello abstineretur, si Carthaginẽses classem exussissent, et exercitũ dimisissent: sin minus, proximi Coss. de bello Punico referrent. Interim, cum Censores theatrũ lapideũ in urbe, ad Floraliũ cæterorumq́; ludorũ spectacula construendũ locassent, is ne fieret, grauissima oratione obstitit, persuasitq́;, ne Græcã luxuriam humilibus patriæ moribus paterentur obrepere. inimicissimum hoc fore inquiens bellatori populo, ad nutriendam desidiam, lasciuiamq́; commentum: adeoq́; autoritate sua mouit Senatum, ut non solum uendi omnia theatro comparata iusserit, sed etiam subsellia, quibus ad breue horæ spacium congestis, in ludorum spectaculo iam uti ciuitas cœperat, ludis poni intra urbem propiusue mille passus prohibuerit. Quod factum traditur anno ab urbe cõdita circiter sexcentesimo: ut scilicet remissioni animorum iniuncta standi uirilitas, propria Romanæ gentis nota esset. Sed reclamat hic rursus D. Augustinus, uir, ut cæterarum literarum, ita historiæ quoque peritissimus, qui hanc theatri interpellationem Nasicæ pont. Max. tribuit. Id autem sacerdotium gessit non Corculus, sed filius eius Serapion, autore Cicerone

D. Augustini lapsus.

rone

rone atq; alijs. Deinde cum Cato non desisteret, quacunq; de re ageretur in Senatu, ad extremum sententiæ exclamare delendam esse Carthaginem: Nasica dissentiens instituit in hunc modum contrariam tueri sententiam, ut semper haberet in ore, è Republ. sibi uideri, Carthaginem nō euerti potissimum quoniā Populus Romanus secundis rebus elatus & insolens, à multis iam sceleribus contineri non posset, qui prosperitate rerum adeò luxuriaret, ut quò impetus animorum ferret, eò per uim atq; impotentiam grassaretur. Hunc ergo metum moderatorem, et salutarem, quasi frenum quoddam temeritati multitudinis retinendum censebat. Carthaginenses enim quemadmodum Romanos superare non possent, sic satis esse ad Populum Romanū intra moderationis terminos continendum. Ad extremum tamen peruicit Catonis sententia, non multo magis, si ex euentu rerum iudicandum est, Reip. salutaris, quàm Nasicæ. Placuit tamen, ut urbs tantum loco moueretur. nihil enim speciosius uisum, quàm esse Carthaginē, quæ nō formidaretur. Idē aliū quoq; consulatū gessit: & cum se aduersus auspicia consulem à Gracchо nominatum comperisset, magistratu se abdicauit. A Tiberio enim Gracchо ad collegium augurum literis ex prouincia missis, quibus significabat, se cum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animaduertisse uitio tabernaculum captum, comitijs consularibus, quæ ipse fecisset: eáq; re ab auguribus ad Senatum relata, iussu eius C. Figulus è Gallia, Scipio Nasica è Corsica Romam redierunt, et se consulatu abdicauerunt. quod inter cultæ religionis exempla ponitur. Id tamen priore eius consulatu gestum existimo, in quo habuit collegam Figulum, in posteriore M. Claudium Marcellum II. Censor etiam fuit. & statuas, quas sibi quisq; per ambitionem in foro ponebat, sustulit: porticusq;, ut diximus, in Capitolio fecit. Multa alia scripta de Nasica reperias, quæ neq; ad hunc, neq; ad patrem eius referri possint: quale illud, quod scribit Val, maxima libertate ad populum dixisse Nasicam, plus se quàm Quirites, quid Reip. expediret, intelligere. quod ad Serapionem pertinere, facile discas ex Epitome Liuij libro LV. multa, in quibus dubites: ut quod tradit Pli-

nius Nasicam censorem collegam Lanati, primum Romæ aqua diuisisse horas æquè noctium ac dierum, idq; horologium sub tecto publice dicasse. L. etiam quendam Porcium Nasicam apud Ciceronem reperio.

Q. FABIVS LABEO.

Q. Fabius, qui primus in familiam Labeonis cognomen attulit, tametsi à Pomponio prætereatur, à Cicerone iuris & literarum atq; antiquitatis bene peritus esse existimatus dicitur. iccirco uitam quoq; eius inserendam putauimus. Fuit enim uir in Rep. magnæ dignitatis. Is quæstor urbanus cũ L. Aurelio, anno ab urbe condita D XLIIII. magnũ certamen cum omnibus sacerdotibus habuit. Pecunia enim opus erat, quòd ultimam pensionem pecuniæ in bellũ collatæ persolui priuatis placuerat. Quæstores ab auguribus Pontificibusq;, qui stipendiũ per bellum non contulissent, petebant. illi nequicquam tribunos appellauere: omniumq; annorum, per quos non dederant, exactum est. Septennio pòst prætor classem sortitus, in Asiam ad mare uenit. quod pacatum adepto, cogitantiq; Fabio, cui rei potißimum insisteret, ne ociosam prouinciã habuisse uideri posset, optimum uisum est in Cretam insulam traijcere. Cydoniatæ bellum aduersus Gortynios Gnosiosq; gerebant, & captiuorum Romanorũ atq; Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totã insulam dicebatur. Classe ab Epheso profectus, cum primũ Cretæ littus attigit, nuncios circa ciuitates misit, ut armis absisterent, captiuosq; in suis quemq; urbibus agrisq; conquisitos reducerent, et legatos mitterẽt ad se, cũ quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanosq; pertinẽtibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses mouerũt. captiuos præter Gortynios nulli reddidere. Valerius Antias ad quatuor millia captiuorũ, quia belli minas timuerint, ex tota insula reddita scripsit, eamq; causam Fabio, cũ rem nullã aliã gessisset, naualis triumphi impetrãdi ab senatu fuisse. A Creta Ephesum Fabius redijt, inde tribus nauibus in Thraciæ oram mißis, ab Aenio et Maronia præsidia Antiochi reduci iußit, ut in libertate eæ ciuitates essent. Sequentis anni Cos. mandat Fabio, qui adhuc classi præerat,

ut

ut Patara extemplo proficiſceretur, quæq; ibi naues regiæ eſſent, concideret cremaretq;. Profectus ab Epheſo, quinquaginta tectas naues aut concîdit, aut incendit. Telmeſſum eadem expeditione, territis ſubito aduentu claßis oppidanis, recepit. Ex Lycia protinus, iuſſis ab Epheſo ſequi qui ibi relicti erãt, per inſulas in Græciam traiecit. Athenis paucos moratus dies, dum Piræeum ab Epheſo naues uenirent, totam inde claſſem in Italiam reduxit. Quidam autores ſunt, cum ipſe Antiochum bello uiciſſet, pactusq;. eſſet in fœdere, ut ſibi dimidia nauium regis pars daretur, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe priuaret. Romam inde delatus, petito triumpho, cũ obſtarent Tribuni pl. iactarentq; non modo non iuſtũ bellum ab eo geſtum, ſed hoſtẽ omnino non uiſum, à Senatu deterriti ſunt. ita ille triumphauit. Quadriennio pôſt cum conſulatum petiſſet, tanta ambitio exarſit, ut è quatuor plebeis competitoribus P. Claudius Conſulis tum Ap. Claudij frater, Conſulem ſecum ſine lictoribus toto foro circumducens, Fabium deiecerit, opinione omnium iam Conſulatui deſtinatum; clamitantem cum maiore parte ſenatus, meminiſſe Ap. Claudium debere prius ſe Conſulem populi Romani quàm fratrem P. Claudij eſſe, quũ ille ſedens pro tribunali, aut arbitrũ, aut tacitum ſpectatorem comitiorum ſe præberet. Coherceri tamẽ ab effuſo ſtudio nequiuit: magnis contentionibus Tribunorũ quoq; plebis, qui aut contra Conſulem, aut pro ſtudio eius pugnabant, comitia aliquoties turbata, donec peruicit Appius. Eo anno Fabius Polentiam in Picenũ, Piſaurum in Gallicum agrum colonias cum collegis deduxit, ſingulis ſena iugera diſtribuit. Conſul anno proximo, cum de prouincijs cum collega ad Senatum retuliſſet. Ligures cum iiſdem exercitibus, quos proximi Conſules habuerant, ipſe & collega decreto obtinuere. qui, priuſquam eò proficiſcerentur, legationes tranſmarinas in Senatum introduxerunt; quæ tantæ nunquam Romæ fuerant. Tum profecti. Sed Fabius in Liguribus nihil admodum memorabile geßit. Eodem anno deductam coloniam Roman. ciuium à Q. Fabio Labeone cum collegis triumuiris Saturniam in agrum Caletranũ, et iugera in ſingulos data dena inuenio.

Sed idem'ne fuerit, qui Consul, autores non tradunt. Cæterum uerisimillimum uidetur, diuersum esse, quòd Consul in prouincia perseuerauit, ita ut cum Romam scripsisset Apuanos ad rebellionem spectare, periculumq; esse, ne impetum in agrum Pisanũ facerent, cum exercitu, quem habebat, ei prorogatum in annum imperiũ sit. Verum ne tum quidẽ, quia eodem profecti sunt cum imperio Consules ambo, quidquam auspicijs aut consilio Labeonis gestum reperio. Pontifex in demortui locum triennio pòst suffectus est. De Q. Fabio Labeone id quoq; traditur: cum arbiter Nolanis & Neapolitanis de finibus agri constituendis datus esset à Senatu, et ad locum uenisset, cum utrisq; separatim locutum, ne quid cupidè agerent, nec appeterẽt, atq; ut regredi quàm progredi mallent. id cum utriq; moti autoritate uiri fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. itaq; illorum fines, sicuti ipsi dixerant, terminauit. in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicauit: si id iudicare fuit, non decipere. Videlicet imitatus est Scaptium illum senem concionalem de plebe, qui populo Romano persuasit, ut agrum, de quo Ardeates atq; Aricini populum Romanũ iudicem sumpserant, sibi adiudicaret. Verum idem'ne cum Consule, aut idem'ne Consul et triumuir ille, quiq; iureconsultus, non satis compertum habeo.

Q. FABIVS PICTOR.

QVi primus *Fabij generis dictus est Pictor, ideo appellatus creditur, quod pingeret. Tametsi ea res tum uiro nobili apud Romanos nõ satis daretur. Autor eius cognominis post Vibulanos, Ambustos, Maximos, familiæ multis titulis nobilissimæ fuit Q. ille Fabius, qui sua manu parietes pinxit in æde Salutis: quam C. Iunius Bubulcus dictator dedicauerat, eisq; nomen suum inscripsit anno V. C. CCCCL. unde ad huius nostri præturam centum amplius anni intercessere. quem nostrum quòd quidam Maximum etiã* Maximi cognomen. *uocant, indicio est, principem agnominis filium fuisse Q. Fabij Rutiliani, qui primus est Maximus cognominatus per Bubulci tempora. Pictores duos sub bella Pyrrhi inuenio, ut appareat cognomen id Fabiæ genti à primo illo mansisse. Itaq; Q. uel Ser. Fabius Ma-*

ximus

ximus Pictor, quem ne ipsum quidem numerat Pomponius, iuris et literarũ & antiquitatis bene peritus, Prætor eodem, quo Fabius Labeo, anno fuit ab V.C. DLI. Flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat. Sardiniam prouinciam sortitus, antequàm eò proficisceretur, certamen cum P. Licinio Pont. Maximo habuit. Tenebat enim Fabium, ne in prouinciam exiret: & in senatu, & ad populum magis contentionibus certatũ est, & imperia inhibita ultro citroq́; & pignora capta, & mulctæ indictæ, & Tribuni appellati, & prouocatum ad pop. est. Religio ad postremũ uicit, ut dicto audiens esset Flamen Pontifici, et mulctæ ex iussu Populi remissæ. Ira prouinciæ ereptæ Prætorem magistratu abdicare se conantem, patres autoritate sua deterruerunt, & ut ius inter peregrinos diceret, decreuere. Neq; aliud ab eo gestum in Rep. Sed anno quarto ac uigesimo pòst uitam obijsse apud Liuium comperio, tametsi corrupte M. pro Q. scriptum est. Solet enim mortes sacerdotũ diligenter colligere, quam Pictoris nunquam antea tradidit. Versatum hunc in Punicis bellis, & Pontificem fuisse, quidam autores sunt. certe annales conscripsit, in quibus cætera quidem breuiter, sui uero temporis res gestas, quo tẽpore Senatui intererat, bello scilicet Punico secundo, fusius persequebatur: primusq; Romanorũ scripsisse res dicitur. Scripsit autem Græce, ut fragmenta illa duorum librorũ, quæ sub eius nomine circunferuntur, collectitia sint ex uarijs autoribus, qui Fabij testimonio sint usi: qualia & nos multa collegimus, quæ Fragmentorum titulo aliquando fortasse edentur.

M. PORCIVS M. F. CATO.

MIlle Porcius Cato Censorinus princeps Porciæ familiæ, quæ inter plebeias subsistit, Tusculo oriundus, ita inter suæ ætatis Iurisconsultos est habitus (quamuis & eloquentiæ laudibus & imperatorijs senatorijsq; excelleret) ut præterquã quòd laudatur à Pomponio, nõ dubitet scribere Cicero, fuisse eũ iuris ciuilis omnium peritissimum. sed, quod de uita eius est Plutarchi libellus diserte conscriptus, ac etiam in Latinum sermonem iampridem uersus, actum (quod aiunt) non agam: tametsi haud sanè pauca adijciã

illis

illis posse uideantur ex Cicerone, Liuio, alijs autoribus, ex quibus duo illa quin ponam, temperare mihi non possum: quod dicere solebat, literarum radices amaras esse, fructus iucundos. item, leges neruos esse ciuitatū. Is Cato filios duos genuit, unum ex priore uxore, alterum ex Salonina. Prior ille à Pomponio in numerum iurisprudentum refertur. Is ex matre longe magis antiquitate generis quàm diuitijs nobilitatus, & materno lacte nutritus, tantopere à patre dilectus est, ut è foro, quoties lauaretur puer, pannisq; inuolueretur, domum (nisi quid maioris publici negocij impediret) uisum ueniret: quoq; gratior seruis dominus foret, ancillarum quoq; suarū pueros mater uberibus admouebat. Hūc ubi primum per ætatem capere literas potuit, pater ipse erudiuit, quamuis Chilonem Grammaticum celebrem inter seruos haberet, qui etiam tum pluribus pueris ludum aperuerat: indignum ratus, natum suum, si forte discendo tardiusculus esset, à seruo castigari, & uulsis auribus distorqueri, & doctrinæ insuper gratiam mancipio debere. Itaq; ipse filio literarum præceptor fuit, ipse leges docuit, ipse exercendi corporis magister, non modò iaculandi, tractandi arma, equitandi, sed etiam pugno dimicandi, et calorem ac frigus tolerandi, ac rapidos fluuios & asperrimos gurgites tranandi artibus instruxit. Quin & propria manu historias maiusculis literis exarasse traditur, ut antiquæ uirtutis exēpla filiolo esse usui atq; adiumento domi possent. Eo præsente sic à uerborum obscœnitate abstinuit, quasi cum Vestalibus uirginibus loqueretur: nec cum eo unquam lauit, ut cæteri solebant. Omnia deniq;, quæ ad ingenium ac mores pertinerent, à patre filius percepit. Cuius cum corpus natura mollius esset, quàm ut bellicis laboribus suffecturum uideretur, strictè ac castigatè uiuendi leges sibi remisit. Studio tamen atq; industria adeò in re militari excelluit, ut, cum in pugna Pauli Aemilij aduersus Persea regem Macedoniæ multa fortitudinis atq; audaciæ facinora ediderit, tandem, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre prælium adolescens aggrederetur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, uelut iacentem obtruncaturus, circunsteterat.

cunsteterat.

conſteterat. at ille, citius corpore collecto, magnas ſtrages edidit. Cum ad unum opprimendum undecunq; hoſtes conuolarent, dum procerum quendam petit, gladium è manu præ ſudore in ictu prolapſum traditur amiſiſſe: qui cum in mediam cohortem hoſtium cecidiſſet, ipſum, ut egregij animi adoleſcentē, multiſq; diſciplinis præditum, & magno patri magnæ uirtutis debitorem, nequaquam ſibi uiuendum exiſtimaſſe, ſi eius ſpolio potiretur hoſtis. Itaq; per prælium diſcurrentem, ubi quem amicum aut familiarem conſpexiſſet, eum ſibi in auxilium adiunxiſſe, atq; ita collecta iuuenum manu, impetuq; in hoſtes facto, multiſq; uulneribus ac cædibus repulſo hoſte, nudatoq; circum loco gladiū quæſiſſe. Sunt, qui umbone ſe protegentem, inſpectante utroq; exercitu, inter infeſtos hoſtium mucrones irruiſſe, ac multa uulnera accepiſſe ſcribant. Quem poſtquam tandem in magno armorum & cadauerum aceruo inuenerit, exultantem lætitia cum ſodalibus rurſus maiore impetu in hoſtes irrupiſſe, cæteriſq; audaciā eius imitatis partam eſſe uictoriam. Quo audito Paulum Imperatorem ſocerum eius (nam filiam ſuam adoleſcenti nuptui dederat) magna eſſe cum admiratione tum uoluptate affectum. Extabat & patris ad filiū epiſtola: in qua ſtudium id recipiendi enſis magnopere laudabatur. ſcilicet imitatus in eo patrem fuerat, qui cum ab hoſte in acie uehementi periculo peteretur, uagina gladius eius elapſus decidit, quem ſubiectum præliantium globo, atq; undiq; hoſtilibus pedibus circundatum, poſtquam abeſſe ſibi animaduertit, adeò conſtanti animo in ſuam poteſtatem redegit, ut illum non periculo oppreſſus rapere, ſed metu uacuus ſumere uideretur. Quo ſpectaculo attoniti hoſtes, poſtero die ad eum ſupplices pacem petentes uenerunt. Fuit igitur ea indole uirtutis hic Cato filius, ut, præterquam quod ſua magis dignitate, quàm ſplendore patris affinitatē Aemilij ſibi compararat, ſedulitate, induſtria, diligentia & paternæ & omnium hominum expectationi ſatis reſpondiſſe uideatur. Illud præterea quod ad rem militarem attinet, de eo traditur, cum in exercitu Popilij Imperatoris Tyro militaret, uiſumq; Popilio eſſet legionē, in qua Cato militabat, dimittere, eum inter alios

exautoraſſe. ſed cum is amore pugnãdi in exercitu remanſiſſet, ſcripſiſſe ad Popilium Catonem patrem, ut, ſi filium ſuum pateretur in exercitu remanere, ſecũdo eum obligaret militiæ ſacramento: quia priore remiſſo, iure cum hoſtibus pugnare non poſſet. Et extabat ſenis Catonis ad filium epiſtola, in qua ſcribebat, ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe à Conſule, cum in Macedonia bello Perſico miles eſſet. Monebat igitur, ut caueret, ne præliũ iniret. negabat enim ius eſſe, qui miles nõ ſit, pugnare cũ hoſte: adeò ſumma erat Romani populi obſeruatio in bello mouendo. Scripſit præterea ad eum Commentarios pater, in quibus eum admonebat, ut omne medicorum genus deuitaret, inſtruebatq; quo pacto incolumitatem uel tueri poſſet, uel recuperare. quo in opere de ualetudinis obſeruatione, ut ex oraculo aliquo prodidit, ſenilem iuuentam prematuræ mortis eſſe ſignum. Sed & in medicinam præſertim Græcorum ita inuehebatur: Dicã de iſtis Græcis M. fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quod bonum ſit illorum literas aſpicere, non perdiſcere, uincam nequiſsimum & indocile genus illorum: & hoc puta uatem dixiſſe, quandocunq; iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet, tunc etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe, barbaros omnes necare medicina. ſed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides his ſit, & facile diſperdant. Nos quoque dictitant Barbaros & ſpurios, noſq; magis quàm alios opicos appellatione fœdant. Ea uiuendi auſteritate cum aliquandiu familiam in ſanitate continuiſſet, tandem uxorem amiſit, cum iam uxorem filio tradidiſſet. Tum delectatus ſenex puellæ cuiuſdam coloni ſui clientiſq; filiæ coitu, quæ ad eũ uentitabat, utebatur. id facile propter domus anguſtias deprehenſum eſt. Filius, cum mulierculam impudentius ac tumultuoſius ad patris thalamum profectam intellexiſſet, uerbum nullum fecit: ſed quaſi rei turpitudine affectus, grauius in eam oculos coniecit. quod ubi pater intellexit, nihil queſtus, nullo doloris ueſtigio uel uultu uel fronte edito, cum in forum deſcendiſſet, nouercã filio ſuperinduxit. Audita re filius, ægre paſſum patrem arbitratus, collectis ſodalibus hominem conuenit, ueniam orat, quod cum ſua contuma-

cia

cta senem ad secundas nuptias impulisset. cui pater: meliora quæso (inquit) fili, tua me omnia uoluptate afficiunt, neque est quicquam quod tibi succenseam. uerum id consilij cœpi, ut tui similes multos mihi filios patriæ ciues relinquerem. Post aliquot annos filius hic designatus prætor: uel, ut alij scribũt, cum in imperio rem gereret, patre superstite, uita excessit. cuius funus tenuissimo ut ualuit (nam pauper erat) pater sumptu fecit, eiusq́; (ut uiri optimi) memoria à patre multis est scriptis celebrata. Hic cum esset patris disciplinam secutus, complures egregios de iuris scientia libros reliquit: unde illud annotat miraturq́; Cicero, uel apud eum L. Crassus orator, nominatim ferè referri, quid alicui de iure uiro aut mulieri responderit: quasi in nominibus, nõ in re, consultationis aut dubitationis causa esset. quo tamen in exemplo etiam insecutus iurisperitorum ordo perseuerauit, ut quicquid quantumuis generaliter aut disputent aut respondeant, præpositis personarum proprijs nominibus tractent: quod non uidetur satis intellexisse Zasius, præterquam quòd de paternis libris accepit. Extat hodie in libris legum regula Catoniana, ad legata pertinens, & de diuidendis stipulationibus persubtilis doctrina, aliæq́; aliquot sententiæ. Reliquit & filium, qui nõ leuis orator fuit, multasq́; orationes ad exemplũ aui scriptas reliquit: & uir clarissimus, ac potentissimus Consul cum Q. Martio rege in Aphricã profectus, ibi extinctus est, relicto & ipsi filio. qui cum ædilis curulis & prætor fuisset, in Galliam Narbonensem profectus moritur. Hæc proles per gradus ex Catonis filio iureconsulto progenita est. Ex secundis nuptijs tulit Cato pater filium, qui materno cognomine Salonianus est dictus. Is cum esset imperator, moritur superstitibus filijs L. & Marco. ex M. qui tribunatu plebis functus, præturæ candidatus interijt, natus est Cato ille, qui se Vticæ bello Cæsariano manu sua interfecit: cuius uitam Plutarchus idem conscripsit. Quamuis Plutarchus hunc Marcum scribat Vticensis auum, non patrem: & Consulatu etiam esse functum. Sed potior est apud nos in Romanis rebus Latinorum fides. nam & Cicero Pliniusq́;, & alibi Plutarchus ipse & Solinus, Catonem illum primũ Censorium,

Error Zasij.

proauū dixit esse Vticensis, & id diligentißime Gellius confirmat.

M. MANILIVS TORQVATVS.

NObilißima inter patricias gens Manlia, eademq; Manlia et Mallia, decimum ab eiectis Regibus consulatum in M. Manlio Tullo, cui quidam addunt agnomen Longi, assecuta, plurimos deinde summos honores gessit. Inter cognomina Tullos, Cincinnatos, Volsones, Capitolinos, Torquatos, Vitulos, Regulos, Atticos, Lucrones, Accidinos, Maximos habuit. Multa eius familiæ egregia in Rempublicā merita produntur. inter quæ nobile Capitolini adole-

Torquati cognomen.

scentis factum: cui tumultu Gallico detractus in singulari certamine ferocienti hosti torquis, cognomen Torquati dedit. Idem antea patrem, quanuis in se acerbißimum, &, ut uocabatur, imperiosum, ab insectatione Tribuni plebis audaci consilio exemerat. admißus enim domi à Tribunis quasi accusationem instructurus, stricto ferro iusiurandum haud ultra uexandi patris extorsit. Idem III. Consul, cum Latini populi per Annium Setinum legatum in Senatu peterent, ut consulem unum ex suis Romano collegam quotannis darent, & Senatus pars æqua utrinq; esset, unus pop. una Respub. fieret, adeò non tenuit iram, ut, si tanta dementia P. C. cepisset, ut ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum se esse uenturum, palàm diceret: ac, quemcunq; Latinum in curia uidisset, sua manu interempturum. Et ad secutum inde bellum imperator missus, filium cōtra sua edicta cum hoste pugnare ausum, atq; uictorē,

Manlianum imperium.

securi percußit: unde Manliana imperia in prouerbium seueritatis uenere. Ex eadē domo fuerat M. Manlius Capitolinus, qui Capitolio à Gallis seruato, tyrannidem dein affectare uisus, de rupe Tarpeia præcipitatus est: adiectaq; præter publicam notam, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret: gentilitia quoq;, quòd gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis dein M. Manlius uocaretur: & si quidam nō M. prænomine, sed cognomine Capitolini interdictū familiæ tradunt. Vtcunq; est (ego tamen abolitum longo tempore domesticum decretum interpretari malim) is, cuius uitam scribimus, M. est dictus: & ex Capitolinis Torquatis fuit is (ut quidam autores.

autores ferunt) qui cæso matris utero in lucem editus, cum L. Martio, uel (ut apud Eutropium & alios) Mallio Censorino consul fuit, anno ab urbe condita sexcentesimo: ut quidam, secũdo: ut alij, quinto: ut Cicero, sexto. nam apud Paterculum, ubi est DCXLI. mendum esse suspicor.

Locus Paterculi mendosus.

Hunc ut pro eo accipiam, quem ut iureconsultũ Pomponius & alij pleriq; celebrant, suadet, quòd nullum præterea M. Manilium per hæc tempora cõsulem reperio. Nam quòd Zasius quasi ex Ciceronis Bruto Catonem Censorinum cum M. Manilio consulem facit, errore labitur, Catonisq; nomẽ de suo falsò adijcit.

Zasij lapsus.

Neq; erat, cur Censorinũ dictum fuisse solum Catonem interpretaretur, cum significet, sicut Consularis, qui consulatum, sic Censorinus, qui censuram gessit. Neq; enim Cato cum Manilio consulatum, sed illo & Martio Censorino Coss. mortem obijt, ut est in eodem Bruto Ciceronis. Iis igitur consulibus tertium bellũ Punicũ exortum est, & uterq; eò, M. Manilius pedestribus copijs L. Martius equestribus præfectus, missi sunt. Eis clàm mandatum à Senatu erat, ne prius Carthagine exercitum deducerent, quàm urbem euertissent. Peractis sacris è Sicilia soluẽtes, Vticam uersus nauigare pergunt, quinqueremes quinquaginta, sexquiremes centum unam ducentes. Has onerariæ & rostratæ naues quamplurimæ sequebantur, quæ octoginta millia peditum, equitum quatuor millia ex habitis undecunq; delectibus secum uehebant: cum omnes fermè ciues, omnes socij, ueluti ad insignem quandam militiam & speratam uictoriam ultro accederent. Territis nouitate rei Carthaginensibus, legatisq; confestim Romam destinatis, responsum à Senatu est, si consulibus in Sicilia existentibus intra diem trigesimum trecentos pueros è nobilissimis obsides dedissent, fore, ut cæteris quæ dicturi essent, aurem præberent. Sed aliud clàm ad Cos. scribũt patres placere sibi. Itaq; pueri aduecti in Siciliam, Romam à consulibus missi sunt: et ab eisdem responsum Carthaginensibus, se eis ad finẽ belli cætera ad Vticam dicturos. Ita classe delati in Aphricam, castra locant: pedites, ubi antea sub Scipione, tabernacula ponunt: naues in Vticæ portu stant. Profectus inde ad eos Carthaginensium legatis,

Coss. in edito quodam loco consedere, ducibus ac tribunis militum eos circunstantibus, quos uniuersus deinde exercitus longo ordine insignibus obibat armis: uexilla recta stetere, ut coràm legati multitudinem copiarum intuerētur. postremo Coss. indicto per tubas silentio, accedere legatos per tubicinem iussere. Illi per ingentia profecti agmina, neutiquam ad Consulum tribunal admissi sunt, sed eo tabernaculo, quod in medio situm erat, perstitere. Inde, si quid uellent, fari à Coss. iussi, longa & miserabili oratione habita, datoq; à L. Martio Consule responso, ut omnia Carthaginis arma nauesq; traderentur: ijsq; traditis ad eum numerū, ut facile Aphrica ex his tota armari potuerit, cum omnibus instrumentis belli, si qua Carthagine erant, atq; incensa in ipso urbis conspectu uniuersa classe, cum petisset Consul, ut urbs dederetur, quo pro senatus iussu funditus dirueretur: multis ultro citroq; habitis orationibus (tangebat enim etiam Coss. tanti excidij misericordia) cum permitteretur à Coss. euocatis principibus, ut, si salui esse uellent, migrantes finibus, aliam urbem decem à mari millibus passuum, nec minus, ubi liberet, conderent, inq; ea liberi suis legibus uiuerent: neq; ea conditio à Carthaginensibus acciperetur, neq; spacium daretur mittendi Romam legatos: dolore apud Carthaginenses pro atrocitate rei atq; indignitate in iras & desperationem uerso, comploratum publice statim, & pari uoce clamatum est ad arma: seditq; sententia, quoquo modo rebellandum. non quia spes ulla iam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quàm suis manibus euerti, seseq; & propter ipsam & cum ipsa uno eodemq; funere contumulari. Itaq; ducibus creatis duobus Asdrubalibus, ad bellum itum est: tanto studio ac furore, ut ad fabricanda arma, deficiente iam ferro atq; ære, in officinis aurum & argentū conflaretur: tecta domusq; in usum nouæ classis rescissæ sint, matronæq; in tormentorum uincula crines suos contulerint. Coss. pœnitentiam eorum desperationemq;, quasi obsidentes, opperiebantur. Masinissa interim non sat aperto animo cum Coss. agens, cū ab eo illi auxilium petissent, tum se missurum respondit, cum eis opus fuisset. Paulo deinde pòst, cum ad

Coss.

Coss. misisset, si quid opus esset, paratum se fore: Coss. superbiam eius non ferentes, & quasi iam præ senio desipienti minus confisi, respondere, missuros se, cum indiguissent. Exercitus interim commeatum omni cura studioq; parabant, ex oppidis quæ Romanæ ditionis erant. Paucis inde diebus Carthaginem uersus mouere copias, partito inter se exercitu ad pugnã instructi. Manilius à mediterraneo supra collum urbis, repleturus fossam ferebatur, ut breui murum qui illi imminebat, & ab illo altiora mœnia inuaderet. Censorinus à mari aggressus est. Situs Carthaginis huiusmodi fuisse dicitur. Viginti duo, uel ut alij uiginti tria millia passuũ muro amplexa, cingebatur penè tota mari, præter fauces, quæ triũ millium spacio à continente patebant. Is locus murum triginta pedes latum habuit, saxo quadrato, altum cubitos quadraginta. Arx (cui Byrsæ nomen fuit) paulo amplius quàm duo millia passuum amplexa. Murum ex parte una communẽ urbi habuit, imminentem mari, quod stagnum uocabant, quoniam obiectu protentæ linguæ tranquillabatur. Igitur Coss. ambo, uelut inter inermes pugnaturi, quippe traditis antea armis grassabantur, donec nuper armatis occurrentibus inopina uirorũ multitudine deiecti repelluntur: ita ea soluta oppugnatio est. Sed cum pugnam iterassent, rursusq; pellerentur, Carthaginensibus creuere animi. Itaq; Asdrubalem ducem Carthaginensiũ qui extra urbem erat, ueriti (nam post eos haud magno interuallo supra stagnum castra habebat) exercitus ambo uallo muniunt. Censorinus prope stagnum ac sub ipsis mœnibus, Manilius supra collum ad uiam quæ in mediterranea uertit, insederat. Confectis à Censorino machinis, iterum urbem ambo oppugnant, iterato pelluntur. Manilius, cum aliquantã muri partem machinis diruisset, ab incœpto destitit: neq; multo amplius cũ profecisset collega, reparatis noctu per Carthaginenses mœnibus, ad inuadenda etiã cum facibus atq; igni castra Romanorũ erupere, ac magnam eorum partẽ absumpsere. Sed succurrentibus Rom. in urbẽ, uastatis magna ex parte castris, reuersi sunt. Postero die uix illucescente, Romani qui cũ Manilio erant, quà murus corruerat, nondũ firmiter refectis mœnibus, inuadũt, urbemq;

Carthaginis situs.

bemq́; ui ingredi conantur. Campus interiore pomœrio ad pugnam accommodus latè patebat, in hoc Carthaginenses primum armatos à fronte constituunt, à tergo horum inermes lignis lapidibusq́; instructi erant, plurimos etiam super imminentes campo & uijs domos collocarunt, qui hostes ingressos desuper impeterent. Romani ad pugnam acrius incensi, prorsus quasi ab inermibus despicerentur, audacius in eos feruntur: & cum neglectos ab una parte muros duo Tribuni, frustra reclamante Aphricano minore, qui tunc Tribunatum gerebat militum, temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis grauiter cedentibus pellerentur, Aphricanus qui suas cohortes plurifariam distributas, per interualla in muro statuerat, eos repulso intra mœnia hoste, incolumes recepit. Cuius rei gratia, & quod castellum, quod nocte ab hostibus oppugnabatur, paucis equitibus adiuuantibus, castraq́; etiã ab alio nocturno impetu defenderat, donatus est à Manilio obsidionali corona: simul quod tribus cohortibus eductis, tres alias ab hostibus obsessas, ut suo loco dicetur, sospites reduxerat, quod statuæ eius in foro suo Octauius Augustus postea inscripsisse fertur. Sed (ut ad ordinem reuertar) eodẽ tempore Censorinus à mari re haudquaquam feliciter gesta, paulo pòst Romam ad comitia decessit, relicto penes Manilium uniuerso belli pondere. Itaq; hinc rem omnem quasi eius auspicijs gestam peragam. Carthaginenses solito audacius soli Manilio insultabant: alij noctu armati cum plurimis inermibus congestos asseres inijcere castrorum fossis, alij uallum transcendere aggressi. Romanis nocturno pauore perterritis, Scipio per eas portas, quæ auersissimæ ab oppugnatione erant, cum equitibus accurrit: inde in Carthaginenses prouectus, tantum terroris iniecit, ut relictis castris, retro in urbem redire compulerit, rursusq́; seruasse exercitum Romanũ sic uisus. Manilius exercitum munire, præducto ante uallum muro, diligentius cœpit, & nauale præsidium ad commeatus custodiã à mari imposuit. Ipse ad mediterranea conuersus, cum decem millibus peditum, equitum duobus millibus duces emisit, qui oram popularentur, ligna, pabulum, commeatum omnem in castra conferrent. Du-

ctabant

ctabant Tribuni unus poſt alium frumentatores. Sed erat Phanias quidam Himilconis præfectus equitum Carthaginenſium, uir fortis, & cuius præcipua opera Pœni nitebantur: qui paulo auctis pro ſpera pugna animis, cum equis paruis atq; agilibus & gramine tantum paſci ſolitis uteretur, quibus famem ſitimq; pati cũ oporteret, perfacile eſſet, in ſyluis deliteſcens ac conuallibus, nec opinatò pabulantes aggrediebatur Romanos, & in morem aquilæ ingruens ſubinde ac fugiens, deprædabatur. Cæterùm, ubi Scipio ductaret, nuſquam apparebat. Is enim pedites in ordinem diſpoſitos & paratos equites in promptu habere, in metendo non prius ſolui ordines pati, quàm campum, in quem eundum eſſet, peditibus occupaſſet, equitibus circummuniſſet, ipſe cum alijs equitum turmis præſens aſtitiſſet: quippe qui in egreſſum ordine aut corona militem grauiter animaduertere ſoleret. Itaq; Phanias cum Scipione congredi neutiquam audere, ex ea re creſcere indies Scipionis gloria. Quod cum cæteri intelligerent Tribuni, per inuidiam detrahere homini, quaſi neceßitudine inter Scipionem & Phaniã iam inde ab auo perdurante, non deſiſtere. Eueniebat etiam, ut Pœnos intra oppida & caſtella, quibus abundabant, ſeſe recipientes cæteri Tribuni ſimulatis fœderibus circumuenirẽt, Scipio autẽ ſeruata fide domos quoſq; ſuas dimitteret. Itaq; nemo dedere ſe antè audebat, quàm interueniſ ſet Scipio: tanta illi uirtutis ac fidei opinio breui etiam apud hoſtes creuerat. Sed redeuntibus aliquãdo à pabulatione Romanis, Carthaginenſes nauium cuſtodiam inuaſerant: clamor quoq; uarius ac multiplex ciuium ad tumultum conclamantium, in urbe audiebatur. Manilius cum ſtrepitus cauſam ignoraret, copias intra uallũ continuit. Scipio pauidas ſecum ducens cohortes, præire cum accenſis facibus iubet, neq; per noctem congredi hoſtibus, ſed cum igne huc illuc diſcurrentes ingentis agminis præbere ſpeciem, metumq; hoſti incutere. Quo pauore utrinq; perculſi Carthaginenſes, in urbem refugere. Scipio omnium in ore eſſe, dignus Paulo patre, dignus auo adoptiuo Scipione exiſtimari. Paulo poſt Manilius aduerſus Aſdrubálem, qui cum altera manu iniquum ſaltum inſederat, mouendum

censebat. Nepheris iugo nomen erat. Scipio, qui per rupes & conualles præruptaq́; loca iter esse faciendũ uidebat, suasit primo Consuli, ne tam iniquo loco confligeret. Ille tamen processit. Cumq́; iam haud amplius quingentis passibus ab Asdrubale abessent, & transmitti fluuium oporteret, uereri rursus, & suadere de reditu cœpit, quasi alio tempore atq; ordine in Asdrubalem eundum esset. Sed uictus complurium Tribunorum sententijs, qui & prudentiæ eius & uirtuti inuidebant, ignauiæq́; non consilij esse dicebant, si in conspectu hostium cederent, qui fugam opinati, extemplò se à tergo inuaderent: monere eos instituit, ut saltem uallum ante amnem iacerent, ut si forte pellerentur, tutus receptus superesset, cum fugæ nullus aliunde relinqueretur locus. Id uero irridere Tribuni: unus etiam abiecturum se ensem iracundè minatus est, si non Manlius, sed Scipio esset Imperator. Igitur Manilius ex plurium sententia transmisit exercitum, & saltum sequente etiam Scipione ingressus est: cui statim Asdrubal ex aduerso occurrit, cædes utrinq; magna exoritur. Asdrubal, postquam intra uallum se receperat, nihil aduersi pati poterat: tantum ut abirent Romani operiebatur, quo eos à tergo inuaderet. Romani sera erroris pœnitentia adducti, regredi incipiunt: cum fluuio appropinquassent, & sub ordinibus transire uado angusto atq; aspero nõ possent, necessariò turbant ordines. Quod cõspicatus Asdrubal, summa alacritate eos aggressus, plerosq; fœda prostrauit strage: cũ omnibus in fugã uersis, nulla pars exercitus alteri subueniret. Tribunos tres occubuisse constat, ex ijs qui ducẽ in primis ad prœliũ impulerãt: Scipio trecentos circiter equites, quos secũ habuit, additis alijs quotcũq; cogere in unũ potuit, in duas diuisit acies, easq́; in hostẽ emisit, iussas celeri cursu per uices iaculãdo incurrere: ut pars incesseret, pars regrederetur, et cõtinue iaculandis missilibus sese inuicem quodã quasi circulo cõmutarẽt. Id cũ illi assidue ac sine intermissione fecissent: Pœni in eos conuersi, in Scipionẽ ferebantur. Ita abeuntes Romani, minus infesto hoste, Scipioneq́; iugiter in eum adequitando dimicante, traijcere flumen permissi. Interea quatuor Romanorũ cohortes (tres alij, quidam duas, alij octo

scripse-

scripsere) pugnæ initio per hostem à fluuio interclusæ, ad tumulum quendam confugerant, quem Asdrubal obsidere cœpit. Ea res non prius, quàm in castra redierunt, animaduersa, tum demum uehementer omnium animos perculit: nonnullis deserendas cohortes censentibus, ne totus exercitus paucorum causa in discrimen ueniret. Scipio aperte ostendit, priusquam inciperent, consilio & prudentia in illo suorum periculo, si boni fortesq; essent, manuũ atq; animi promptitudine esse opus. Ipse cum nonnullis delectis equitibus, aut alacriter rediturum in castra, aut cum cæteris læto animo occasurum se pollicitus, sumptis duorum dierum cibarijs, cunctis de reditu eius desperantibus, iter peregit. Cum ad tumulum peruenisset, ascensum quendã, qui tumulo præminebat, superat cursu, sicut una duntaxat uallis inter illum & hostes intercederet. Tum uero Pœni obsessos acrius urgere, ac prædicare neutiquam à Scipione propter itineris difficultatem auxilium suis afferri posse. At Scipio radices utriusque tumuli & interiacentẽ contemplatus uallem, extemplo per eam in hostes fertur. qui statim utrinq; circumuenti, in fugam uertuntur. Eos Scipio numero militũ haudquaquam par (nam aut tres tantum cohortes, aut quod alij tradunt, exiguas equitum turmas eduxerat) libere abire passus, obsessos in castra incolumes reduxit. Quem cæteri à longe uenientem cum socijs, præter spem saluum adesse conspicati, clamoribus maximis ingentiq; lætitia excepere, non sine opinione fauentis ei numinis, à quo etiam Scipioni maiori auo eius futura sæpenumero prænunciata esse uulgò ferebantur. Manilius in castra urbi proxima reuersus, multam comminatus est, si quis in recipiendis copijs Scipioni dicto audiens nõ fuisset. Cæterum mœrebat uniuersus exercitus, quod cæsi ad Nepherim Tribuni & milites insepulti iacerent. Scipio captiuum quendam dimitti ad Asdrubalem iussit, qui iusta cadaueribus impetraret. Asdrubal perquisita corpora, & ex annulis agnita (aureis enim tribuni, cæteri ferreis utebantur) sepulturæ tradidit: seu communem mortalitatis conditionem miseratus, seu quòd Scipionem iam tum reueritus, inire ab eo potissimum optarit gratiam. Euenerat etiam, ut, Ro-

manis ab Asdrubale redeūtibus, Phanias recenti clade perculsis occurreret, & ab alia parte Carthaginenses facta eruptione inuaderent. Ibi aliquot, qui cum impedimentis et sarcinis erāt, occisi sunt. Interea Senatus in Aphricam miserat, qui diligentissime omnia quæ gererentur, cognosceret. Apud quos Manilius cæteriq; pro se quisque duces Tribuniq; omni deposita inuidia, exercitusq; omnis Scipioni ob res ab eo fortissime fœlicissimeq; gestas testimonium uirtutis præbuit. Quæ cum legati Romam renunciassent, Senatum gaudio repleuere. Sed, quia pleraq; haud sanè prosperè in Aphrica euenerant, placuit ad Masinissam inuisendum legatos mitti, qui illum hortarentur, & ad bellum strenue in Carthaginenses gerendū incitarent. Verum ille, propterea quòd senio ac ualetudine confectus iacebat, à legatis adiri non potuit. Rogatu eius Manilius Scipionem, quem ille instanti iam fato curatorem liberis dare præsentem cupiebat, ad regem transmisit. Is, pòst Masinissæ mortem, compositis inter regulos rebus familiaribus, cum rediret in castra, Gulussam regis filium in societatem belli secum duxit, cuius consilio potissimum Phaniæ insidias, quibus Romanos assidue infestos habebat, repressit. Forte contigit, ut Scipio & Phanias per crepidinem quandam, quæ uastā in medio habuit et inaccessam uallem, ducerent, ita ut se alter alterum aggredi non posset: ueritus Scipio, ne quis locum ponendis insidijs antecaperet, progressus tribus duntaxat comitantibus, cuncta rimatur. Id conspicatus Phanias, unico ex suis comite, processit obuiam. Ratus igitur Scipio esse, quod ille communicatum uellet, unico & ipse comitatus accedit. Ibi cum appropinquassent, ut se inuicem audire possent, Scipio audacter (præiuerat enim & Phanias Carthaginenses) Cur (inquit) de salute tua nō cogitas Phania, quando cōmunem desperatam uides? At ille: Quid est quod mihi salutis sperare possim hoc rerum nostrarum statu, qui tanta mala uobis intulerim? Tum Scipio: Spondeo (inquit) et præstabo, ueniā tibi apud Romanos et gratiam non defuturam. Annuit Phanias: &, cum se minime dubitare dixisset, quin tantum apud suos ualeret Scipio, dirempto colloquio utriq; recessere. Manilius pudore cladis

ab

ab Asdrubale acceptæ, sumptis quindecim dierum cibarijs, rursus ad Nepherim mouit: & cum appropinquasset iugo, castra posuit, uallum fossa munijt: & cum nihil opportuni omisisset, pauere tamē ac trepidare uidebatur, ne abeuntibus à tergo instaret Asdrubal. Interim nuncius ab exercitu Gulussæ, epistolam Scipioni reddit. Eam acceptam, sicut erat, obsignatam imperatori tradidit. Cum aperuissent, in hanc sententiam scriptam inuenere: Hoc ipso die eò loci ueniam: tu, cum quibus placuerit, accedito. custodibus impera, ut ad se uenientem noctu accipiant. Nihil plus literis, ne nomen quidem autoris inerat. Quamobrem Scipio à Phania missam esse credere. Manilius Scipionis saluti metuere, callidum & insidiosum Pœnum dicere. Ad extremum mitti Scipionem placuit, qui Phaniæ incolumitatem polliceretur, honorem aut beneficium nullum certam, sed pro meritis, quæ ille apud suos renunciasset, non defuturam ei apud Romanos gratiam. Sed ne id quidem expectauit Phania: sed ubi primum in Scipionis conspectum uenit, satis se ei de sua salute fidei habere professus: quantum sibi à Romanis gratiæ referretur, in eorum potestate fore affirmauit. Hæc fatus, postero die aciē instruit, & cum cæteris ducibus progressus in medium, quasi aliud consultaturus, cum suos hortatus esset, ut quando communi non possent, saluti suæ consulerent, seseq; imitarentur, cum equitatu suo & præfectis aliquot ad summam equitum duūm millium ducentorum amplius ad Romanos transijt: quos & Hanno, cognomine Leucus, imitatus est. Reuertenti Scipioni cum Phania, obuiam profectus exercitus, quasi triumphantem lætis clamoribus excepit. Manilius imperator gaudio elatus, cum haud amplius periculosum iter arbitraretur, nec Asdrubalem metu territum ulterius à tergo insecuturum putaret, tandem necessitate rerum compulsus, recessit. Septimum enim ac decimum agebat diem, et defecto bidui cibarijs, triduum insuper in reditu absumendum erat, famesq; perferenda. Verum Scipio cum Phania & Gulussa, cæterisq; suis, Italica præmissa manu, ad campum processit, quem magnum Barathrum incolæ uocant, ingentemq; uim frumenti & commeatus exercitui per

noctem supportauit. Cognito deinde Manilius successorẽ sibi Calphurnium Pisonem cum imperio mitti, Scipionem cũ Phania Romã dimisit: qui incredibili dolore militum profectus in urbem, honoribus muneribusq; à Senatu ut Phanias exciperetur effecit. Manilius paulo pòst & ipse tradito Pisoni imperio, cum præter res superius expositas, Tenzagam quoq; urbem, cæsis duodecim millibus Aphrorum, sex millibus captis, expugnasset atq; diripuisset, Romam ex prouincia decessit. Biennio pòst à Scipione consule uicta ac deleta Carthago, quam primus Romanus Manilius per uim cum exercitu intrauerat, ut suprà demonstrauimus. Is prudens etiam orator est habitus, tres libros de iure ciuili scriptos reliquit: ex quibus multa, præsertim de uenalium uendendorum legibus & actionibus, ac ueterum uerborum proprietatibus à Cicerone & Varrone citantur. Deniq; præter egregia multa raræ dignitatis, sacrorũ quoq; Pontificaliũ peritissimus fuit, & ex illis, qui transuerso foro ambulantes cõsilij sui copiã omnibus facerent, quiq; omnia, quæ quidẽ tum Romana ciuitas nosset, ut sapientiæ gloria excellerent, cõplecti solebant. Fuit P. Scæuola æquali suo oratione copiosior, nec multo minus prudens. Paternæ etiam seueritatis insigne exemplum edidit. Nam cum ad Senatum Macedonia de filio eius, qui à patris nomine cui in adoptionem datus fuerat, Decius Syllanus dicebatur, qui eam prouinciam prætor obtinuerat, querelas per legatos detulisset, quòd pecunias cepisse arguerent, à P.C. petijt, nequid antè de ea re statuerent, quàm ipse Macedonum filijq; sui causam inspexisset. Summo deinde tum amplissimi ordinis, tum etiam eorum qui questum uenerant consensu, cognitione suscepta, domi consedit, solusq; utrique parti per totum biduum uacauit, ac tertio die plenissime diligentissimeq; auditis testibus, ita pronunciauit: Syllanum filium meum pecunias à socijs accepisse mihi probatum sit, neq; talem fuisse in imperio, quales maiores mei fuerint, et Republicæ eum & domo mea indignum iudico, protinusq; è conspectu meo abire, nec redire ultrà iubeo. Tam tristi patris sententia percussus Syllanus, lucem ulterius intueri nõ sustinuit, suspendioq; se proxima nocte consumpsit. Per

Seueritatis exemplum.

ege-

egerat iam Torquatus seueri patris, religiosi iudicis partes, satisfactum erat Reipublicæ, habebat ultionem Macedonia: potuit tam uerecundo obitu filij patris inflecti rigor: attamẽ ille neq; adolescentis exequijs interfuit, & cum maxime funus eius duceretur, consulere se uolentibus domi de more sedens uacuas aures accõmodauit. Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat: prudentissimoq; uiro succurrebat, effigies maiorum suorũ cum titulis suis idcirco in prima ædiũ parte poni solere, ut eorum uirtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. Hæc quasi de iureconsulto scribi à Valerio Maximo dubitari non potest, quem cum Titum prænominet, Cicero uero Lucium, eiq; collegam in Consulatu Cn. Octauium ascribat libro primo de Finibus, magnopere uerebar, ne M. ille Manilius, cui res multas bellumq; præsertim Punicum tertium attribuimus, nihil omnino ad numerum Iurisperitorum pertineret. Sed tamen cum uideam apud eundem sæpe Ciceronem, M. Varronem, & in libris iuris ciuilis perpetuò M. Manilium autorem responsorum & rerum legitimarum nominari, fit, ut temere putarit Valerius, seuerum illum Syllani patrem, collegam Octauij, eum extitisse qui studio rerum ciuilium & iuris claruerit, & facilius possis iureconsulto hanc grauitatis laudem, quàm belli decora et superiorem gloriam detrahere. Ne illum quidem arbitror fuisse Iurisperitum, quem tradit Plinius Senatorẽ maximis nobilem doctrinis doctore nullo, qui primus atq; diligentissimus togatorum de phœnice prodiderit, neminem extitisse qui uiderit uescentem. Scripsit enim ille P. Licinio M. Cornelio Coss. quinquaginta annis post nostri consulatum.

Val. Maximi locus.

M. BRVTVS.

IVniæ familiæ celebris antiquitas, nostræ scriptionis præconia parum desiderat. Quippe cum Ilio oriunda, in Italiam cum Aenea uenerit, affinitateq; Romanos reges contigerit, & ille liberator populi Romani L. Iunius cognomento simulatæ stoliditatis Brutus, M. patre V. C. genitus, matrẽ habuerit Tarquiniam Tarquinij Prisci regis filiam, qui quidẽ necati fraude regia patris fratrisq;, simul

L. Iunius Brutus.

& uiolatæ pudicitiæ uindex acerrimus, Tarquinium Superbum regem auunculum aut amitinum suum regno deiecit: neq; minus fortis ultor tentatæ libertatis, non modo uim Hetruscam ad mortē usq; sustinuit, sed etiam duos filios insidiantes patriæ, uirgis cæsos securi percußit. Superstitibus'ne liberis alijs decesserit, incertum facit autorum dissensio. Plutarchus ei alios præterea fuisse filios tradit. Dionysius & antiquior, neq; minus diligens, testimonio etiam certißimorum autorum negat: Iuniosq́; & Brutos, qui postea extiterint, plebeios fuisse, hunc patricium scribit. nisi forte, ut de Octauijs quoq; traditur, ad plebem se sponte cōtulerint. Certe ab eo Iuniorū nemo per propè ducentos annos Aedilitatem aut Tribunatum excessit, donec Iunius Brutus à P. Philone dictatore magister equitum dictus, et duodecim pòst annis T. Iunius Brutus Scæua Consul est factus: cum iam plebeis quoq; is honos pateret. Successit uir insignis Iunius Brutus Bubulcus: uilia nomina, sed in sordidis titulis honestæ uirtutes latebāt. Libones dein, Peræ, Pulli, Syllani, Iuliani ex adoptionibus. Hinc itaq; genitus M. Brutus Iureconsultus, præturam, ut Pomponius putat, non exceßit. ideo difficilius & quis fuerit, & quid gesserit, dictu est. Ab eo relictos septē libros de iure ciuili, idē est autor: quorum tamen tres tantum uerè fuisse Bruti, Cæsar apud Ciceronem se ex Scæuola audisse, & alibi Cicero ipse confirmat. Inde illi L. Craßi oratoris ioci. nam cum is Brutus, M. filium reliquisset (qui magistratus non petiuit, sed fuit accusator uehemens & molestus, ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonū: pater enim uir optimus & iuris peritißimus fuerat: degenerasse uitio deprauatæ uoluntatis. accusatoriam enim artem profitebatur) cum igitur eum filium reliquisset Brutus, magnum generi dedecus, eum in quodam iudicio ex his libris mirifice uexauit Crassus. Nam cum Brutus duos lectores excitasset, & alteri orationē Craßi de Colonia Narbonensi legendam dedisset, alteri de lege Seruilia, & cum contraria inter sese de Republica capita contulisset, Crassumq́; quod primus peregrini marmoris columnas Romā ad Palatinas ædes suas instruendas aduexerat, Venerem Palatinam appellasset: Crassus facetißime

Iun. Brutus Bubulcus.

cetissimè tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus lectoribus legendos dedit. In libro primo ita erat: Forte euenit, ut ego & M. filius in Priuernati essemus. tum Crassus: Brute, testificatur pater se tibi Priuernatē fundum reliquisse. Deinde ex libro secundo: In Albano eramus ego & M. filius. hic Crassus: sapiens uidelicet homo cum primis nostræ ciuitatis norat hunc gurgitem, metuebat, ne, cū is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur. Tum ex libro tertio: In Tiburti forte assedimus ego & M. filius. Crassus hoc loco: Vbi sunt ij fundi Brute, quos tibi pater publicis Commentarijs consignatos reliquit? quod nisi puberem te (inquit) iam haberet, quartū librum composuisset, & se etiam in balneis locutū cum filio scriptū reliquisset. nam forte nuper Brutus filius balneas paternas uendiderat. Vnde ille etiam eiusdem Crassi iocus. cum enim se Brutus sine causa sudare in facili & aperta causa diceret: Minime mirū, inquit Crassus. modo enim existi de balneis. Hæc, quæ ad fortunas, filiū, commentarios M. Bruti iureconsulti pertinebant, non putaui indigna, quæ ascriberentur, ut sunt apud Ciceronem. Illa quoq; sententia de actione furti testatori facti danda hæredi, apud hunc erat, sicut apud Sext. Aelium, M. Manilium. Sed & sedulitatem adhibuit, ut multa uerba, quæ iam maioribus fugitiua obliuione prærepta fuerant, retraheret. Tenuit is Brutus nonnullum etiam inter Oratores locum, neq; honorem ullum (ut diximus) prætura maiorē gessit, pudendo Zasij apud Pomponium errore. M. etiam Brutū, M. Bruti diuini hominis, qui C. Iulium Cæsarem tyrannum interfecit, patrem, existimat Cicero non modo acutum oratorem, sed etiam iuris publici & priuati sanè peritū fuisse: eum Pomponius non numerat. Zasij error Is Marianas secutus partes, primo cum Cn. Pompeio etiā tum adolescente conflixit: quo in prælio turbatis equitibus Bruti, peditatus quoq; in fugam est uersus. ita fusus fugatusq; Brutus, prætor inde cum esset, Mario intra urbem incluso Senatū conuocauit, in quo à Mario multi diuersæ factionis principes occisi. Aliquot post annos mortuo Sylla, Lepidoq; Marianas partes rursus capescente, eum sectatus est Brutus. Galliam Cisalpinam is à Lepido uictam tenebat,

contra eos missus est Pompeius Magnus, qui cum cætera facile uicisset, Brutum in reditu diutius Mutinæ obsedit: sed ille siue à militibus proditus, seu sponte mutato ad defectionem animo, salutem suā ac militum Pompeio commisit, deinde equitibus quibusdam præmissis, ad castellum quoddam iuxta Padum consedit. Eò postridie cum Geminius Pompeij iussu uenisset, Brutus apud Regium occisus est: cuius cædes magno crimini Pompeio fuit. Cum enim initio captæ Mutinæ ad Senatum scripsisset, uoluntariam à Bruto deditionē esse factam, post cædem deniq; eum per alias literas apud Senatum criminatus est, in quo perfidiam prius ac crudelitatē exercuerat. Neq; uero à Cæsare fœlicius Bruto fuit. siquidem Cæsar (ut impudicitiæ & adulteriorum cupiditate flagrabat) uxorem Bruti Seruiliam etiam tum uiuo uiro, adolescens turpissime antè alias adamauit. cuius etiam pòst uiri mortem allatas ad se in Senatum literas, Catoni Vticensi uterino Seruiliæ fratri, dum is uehementissime in Catilinæ coniurationē inueheretur, Cæsar legendas præbuit, cum eum Cato ex earum lectione in suspicionem traheret. Eidem Seruiliæ primo suo consulatu sexagies sestertiūm margaritam mercatus est: & bello ciuili super alias donationes amplissima prædia ex auctionibus hastæ numo addixit. cum quidem plerisq; uilitatem mirantibus, facetissime Cicero: Quo melius (inquit) emptū sciatis, tertia deducta est. existimabatur enim Seruilia, etiam filiam suam Tertiam conciliare Cæsari. quo adulterio, & quod eum Cæsar inter uulnera filium appellauit, quidam natum esse Brutum suspicati sunt, illum tyrannicidam.

P. MVTIVS SCAEVOLA.

IN Scæuolarum familia complures iuris cognitione celeberrimi extitere, ut nō immeritò quasi hæreditaria eius gentis existimata sit. Origo Scæuolæ nominis sub initia Romanæ libertatis à Mutio iam tum nobili familia spectatæ uirtutis adolescente: qui cum Porsenam Etruscorum regem interfecturus, in castra eius Romam obsidentis uenisset, uoti impos, in uolam, id est manum, quæ pro rege scribam obtruncasset, igni impositā sæuierit. Ex hac gente primus

P. F. Mutius P. *Scæuola iuris scientiæ gloriã est adeptus.* Is P. (*tametsi* C. *pro* P. *in breuiarijs reperio*) *anno ab urbe condita* DCXXI. *uel* (*ut apud alios: nam tota hæc consulũ series triennio ferè, aut non multo secus apud autores uariat*) *undeuicesimo,* Cõsul cũ L. *uel* Gn. Calphurnio Pisone *fuit. uerè enim tradi quicquam propter deperditos hinc* Liuij *annales uix licet. In eo magistratu, cum* Tiberius Gracchus *Tribunus plebis legem agrariam ferre uellet, ei in consilio fuit: sed obscurius, non ut seditionem suscitaturus, sed legis æquitatem iuueni assentiens.* Atq; *ex ea re ciuitate commota, conuocatoq; per* Mutium Senatu, *in ædem* Fidei *publicæ, & interrogatis patribus, quid 'nam in tali tempestate faciendum esset* (*nam ea lex patres ut diuites offendebat*) Scipio Nasica, Serapion, *cunctiq; patres consulem ad* Rempublicæ *capessendam cohortati, id ab eo responsum accepere: se nec autorem intestini belli fore, nec ciuem* Romanum *indicta causa necaturum: nec, si quid per uim ad populũ* Gracchus *tulisset, pro lege habiturum. quod* Zasius *per errorem* Q. Mutio *Auguri attribuit.* Quinetiam *tribus coëgit, cum ille leges ferret.* Idem *tamen, qui in gerenda* Republica *putabatur fuisse segnior consul, atq; languidior, gestis multis senatusconsultis* Nasicam, *qui* Gracchum *interfecerat, extemplò reum factum non modò defendit, sed etiam ornauit, & iure optimo sumpta esse uel à priuato in tribunum arma contendit. Ita maiorem iustitiæ quàm fortitudinis ex eo negocio laudem reportauit.* Pontifex *etiam* Maximus *fuit, postq; eum ait* Cicero *desitum esse à* Pontificibus *maximis confici annales maximos, quos ab initio rerum* Romanarũ *ad eum conscripserant, ut res singulorum annorum mandarent literis, publicæ memoriæ retinendæ causa: afferreq; in album solebant, & tabulam domi proponere, potestas ut esset populo cognoscendi. In pontificatu illud gestum ab eo traditur.* Cum Licinia *uirgo* Vestalis, *summo loco nata, sanctissimo sacerdotio prædita,* T. Flaminio Q. Metello Coss. *aram & ædiculã & puluinar sub saxo sacro dedicasset, eam rem ex autoritate senatus ad collegium pontificum* Sex. Iulius *prætor retulit.* Tum P. Sceuola Pontifex *maximus pro collegio respon-*

Zasij error

dit, quod in loco publico Licinia C. F. iniussu populi dedicasset, sacrum non uideri esse. Senatus prætori urbano negocium dedit, ut curaret, ne id sacrũ esset, & ut, siquæ essent incisæ aut inscriptæ literæ, tollerentur. adeò autoritas Mutij ualuit. Is Mutius, cum P. Crassum Mutianum oratorem fratrem adoptiuum haberet, iuris eũ doctrina imbuit, quantum esse oratorio muneri necessarium existimauit. Scæuola ipse nonnullum inter oratores locum tenuit. dicebat enim ualde prudenter & acute, & paulò etiam quàm multi æquales sui copiosius. Iudex iniuriarum condemnauit eum, qui L. Accium poëtam lædendi gratia in scena nominauerat: cum C. Cælius absoluisset eum, qui Lucillium poëtam in scena nominatim læserat. Reliquit de iure ciuili libellos X. Huic illud etiam ridicule contigit, quòd, cum eum Scipioni multis probris onerato M. Flaccus iudicem tulisset, Eiero, inquit Scipio, iniquus est. cumq; esset admurmuratũ: Ah (inquit) P. C. non ego mihi illum iniquũ eiero, uerum omnibus. Is Pub. pila etiam & duodecim scrupis atq; alea optime lusisse dicitur, ita ut illo duodecim calculorum lusu tanta diligentia fuerit, ut cum aliquando calculum promouisset, essetq; uictus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo loco errasset recordatus, redierit ad eum, qui cum luserat, isq; ita factum confessus sit. Ita nõ uno diuerticulo animum forensibus ministerijs fatigatum recreare contentus fuit: sed, cum bene ac diu iura ciuium & deorum cerimonias ordinasset, & in rebus serijs Scæuolam egisset, in iocosis agebat hominem. Quanquam hæc magno errore Valerius Maximus de Q. Mutio augure memoriæ prodidit, ut in eius uita longius demonstrabitur.

P. Crassus Mutianus.

Val. Max. ini error.

P. LICINIVS CRASSVS MVTIANVS.

Plebeia gens Licinia prima suo ordini tribunatũ militũ Cos. potestate dedit in P. Licinio Caluo, post multas contentiones uix extortum patribus: eundem ipsa primum ex patricijs antea honoribus nacta. &, cum idem P. quadriennio pòst reficeretur, impetrauit à tribubus, ut sua uice filium legerent. Idemq; opinor (nam apud Liuium uariant prænomina P. C. q. atq; inde scriptoribus bre

uiarij

uiarij Coss. errandi occasio, et Caluos cum Stolonibus confundendi) ipse P. F. Caluus primus de plebe magister equitum dictus, breuiq; pòst consul. Eadem domus C. Licinium Stolonē dedit, uirum in causa plebis expertæ uirtutis, qui Tribunus plebis decimū refectus, collega L. Sestio, tandem rogationes pertulit, frementibus patribus, de ære alieno minuendo, de finiendo modo agrorum, deq; consulatu plebi cōmunicando. Quo munere delinita plebs, utrunq; deinceps, uno interposito, primos ex suo corpore Coss. fecit. Inter cognomina gentis fuere & Vari, & Crassi. Crassum primum inuenio dictū eum, qui per secundum Punicum bellum, nondum ædilitius, Q. Fuluium Flaccum & T. Manilium Torquatum bis Coss. & censorios, in petitione Pontificatus Maximi deiecit: cum ante intra centum et uiginti annos nemo præter unum creatus esset Pontifex Maximus, qui sella curuli non sedisset. Idem postea magister equitum & Cos. fuit. Accessit genti ex opulentia diuitum agnomen, multiq; ex ea principē locum in Republica tenuerunt. Inter quos P. ille Crassus, qui conspiratione cum Pompeio et Cæsare inita, cæsus deinde à Parthis, optimatium dignitatem illis debilitatam reliquit. Illustrauit gentem & Licinius Macer, uetus annalium Romanorū scriptor. Quidam & Lucullos Licinijs annumerant. Igitur P. Licinius Crassus Mutianus, cognomine diues, naturalē ortum è Crassorum gente habuit, sed adoptione in familiam Mutiam transijt. Is sexcentesimo circiter ab urbe condita anno, quæstor est factus. Ac triennio pòst, cum nondum à Censoribus in ordinem senatoriū lectus esset (quo uno modo etiam ijs qui iam honores gesserant, aditus in curiā dabatur) & rure domū reuerteretur, Q. Fabius Maximus ignarus Crassum Senatorem nondum esse, narrauit in itinere, quòd secreto in curia de tertio bello Punico indicendo actū erat. Quamobrem à consulibus obiurgatus est Fabius. Crassus à P. Scæuola fratre domesticam iuris disciplinam hausit, & ualde probatus est orator habitus. Nam ingenio præterea ualuit, & studio: & summo oratori Ser. Galbæ, cuius filio Caio filiam suam collocauerat, affinitate sese deuinxit. In eo industriam summā constat fuisse, maximamq; gra-

Chronologiæ Liuianæ error.

Licinius Macer.

tiam, cum & consuleretur plurimum, & diceret.Itaq; etiam cum ædilitatem peteret, de iure consulebatur. Et cum rusticanus quidam cōsulendi gratia accessisset, eumq; seduxisset, atq; ad eū retulisset, responsumq; ab eo uerum magis quàm ad suam rem accommodatū abstulisset, Galba qui Crassum in petitione assectabatur, ubi tristē rusticanum uidit, nomine appellauit, quæsiuitq; qua de re ad Crassum retulisset: ex quo ut audiuit, commotumq; ut uidit hominem, suspenso (inquit) animo & occupato Crassum tibi respondisse uideo. deinde ipsum Crassum manu prehendit, et, Heus tu (inquit) quid tibi in mentem uenit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere ut respondisset, nec dubium esse posse. Galba autem alludens uarie & copiose, multas similitudines afferre, multáq; pro æquitate contra ius dicere. Crassus cum disserendo par summo oratori Galbæ esse non posset, ad autores confugit, & id quod ipse diceret, & in P. *Mutij fratris sui libris, et in* Sex. *Aelij* Commentarijs *scriptum protulit, attamen concessit Galbæ disputationem sibi probabilem & propè ueram uideri. Aedilis itaq; factus, functus est ædilitio maximo munere. Primus enim argento auroq; folia imitatus coronas dedit: accesserunt lemnisci quoq;, quos adijci ipsarū coronarū honos erat, propter* Hetruscas, *quibus iungi nisi aurei non debebant.* Is *quoq;* Tiberio Graccho *legem* Agrariam *ferenti, quod filiam suam alteram* C. Graccho *fratri* Tiberij *in matrimonium locauerat (id enim & à pluribus tradi ait* Plutarchus, & Cicero *affirmat, cui ego maxime credo, quanquam alij* Bruti *putent) palàm in cōsilio fuit. Quo interfecto, Senatus iram plebis leniturus, impugnare legem destitit, & in* Tiberij *locum diuisorem* P. Crassum *legit. Consulatum inde cum* L. Valerio Flacco *gessit, anno ab* V. C. DCXXIII. *uel ut alij, secundo, id est biennio post* P. Scæuolam *fratrem. In quo magistratu cum ferretur ad populum, quem ei bellum contra* Aristonicum *gerere placeret,* Crassus, *qui tum* Pontifex Max. *erat,* Flacco *collegæ, quod erat flamen* Martialis, *& eam prouinciam ambiebat, mulctam indixit, si à sacris discessisset: quam mulctam* Populus Romano *remisit.*

Pontifici

Pontifici tamen Flaminem parere iußit. Neq; tamen ad priuatum detulit bellum, quanquam erat Africanus, qui anno antè de Numantinis triumphauerat. Qui cum longe omnes belli gloria & uirtute superaret, duas tantum tribus tulit: & populus Romanus Consuli potius Crasso, quàm priuato Aphricano bellum gerendum dedit. Igitur in Asiam ad debellandum Aristonicum, qui mentitus Regiæ stirpis originem (sunt qui Eumenis regis nothum filium tradant, & Attali fratrem, eius qui Asiam populo Romano testamento reliquerat) eam prouinciam occupauerat, cum imperio & instructißimo exercitu est missus, cum esse Consul & idem Pontifex Max. quod nunquam antea factum erat, ut Pontifex maximus extra Italiã proficisceretur. Habebat Crassus infinita regum auxilia. nam et Bithyniæ rex Nicomedes, & Mithridates Ponticus, & Ariarates Cappadox, & Pilemenes Paphlagon, Romanos iuuere. Ibi, cum obsidionem oppugnationemq; Leucatis oppidi moliretur, opusq; esse firma ac procera trabe ad arietem muris quatiendis conficiendum animaduertisset, recordatus duos à se opportunos ei rei malos Athenis uisos, architectum Atheniensium armamentarij per literas monuit, ut maiorem ad se mitteret. Ille re causaq; eius perspecta, commodiorem arbitratus minorem, misit. Accitum eum Crassus, interrogatumq; quid ita alium, quàm quem petierat, malum misisset: excusationem eius rationesq; non accipiens, nudatum uirgis cædi iußit: corrumpi ac dissolui omnem Imperatoris dignitatem atq; officium ratus, si quis ad id quod facere est iussus, non obsequio, sed consilio irrequisito respondeat. Illam etiam incredibilem in eo magistratu laudem est memoriæ consecutus, ut quinq; Græci sermonis differentias sic breui penitus perdidicerit, ut qua quisq; apud eum lingua ad tribunal eius postulasset, eadem ius sibi & decreta referret: quæ res maximum ei sociorum amorem conciliauit. Sed cum bellum gereret, uel ut alijs placet, è prouincia decederet, ab hostibus prælio uictus est. Sunt qui Attalicæ prædæ quàm bello intentiorem, extremo anni tempore inordinata acie prælium conseruisse asserant. Cæso igitur exercitu, Thraces, quorum magnum numerum Aristoni-

cus

cus in præsidio habuit, recipientem se Crassum inter Eleam & Smyrnam intercepere. Sed ille memor & familiæ & nominis Romani, ne in ditionem hostis perueniret, dedecus accersita ratione mortis fortiter effugit. Virgam enim qua ad regendum equum usus fuerat, in oculum custodientis se Barbari direxit, ita ut excæcarit. Ille ui doloris accensus, latus Craßi mox sicca confodit. Dumq; se ulciscitur, Imperatorem Romanũ maiestatis amissæ turpitudine liberauit. Itaq; ostendit fortunæ Crassus, quàm indignum uirum tam graui contumelia afficere uoluisset: quandoquidem iniectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter simul & fortiter rupit, seq; iam Aristonico donatum dignitati suæ reddidit. Caput tamen mortui Aristonico oblatum est, corpus Smyrnæ sepultum. Sed breui pòst Craßi successor Perpenna stragem eius, capto Aristonico, & Romæ in carcere strangulato, uindicauit. Traditur Crassus Mutianus multis ac præcipuis bonis ornatus fuisse, quinq; præsertim: quod ditißimus, quod eloquentißimus, quod nobilißimus, quod iurisconsultißimus, quod Pontifex Maximus. Sanè P. ille Crassus, quem bello ciuili Syllano sua manu interfectũ Cicero scribit: Lucanus uero & Florus laceratum à Fimbria cum patre, alium ab hoc Mutiano fuisse, temporum etiam ordo indicat. Putarem citius Mutiani filium, si patris mors concederet, aut si alioqui relictum à Mutiano filium constaret. nam de morte facilius Ciceroni accedam. Sed & alius P. Crassus fuit, quem ueterem appellat Cicero, qui cum superiore Africano Consul fuit, & ipse diues uocatus. Nã eorum, quæ Zasius Mutiano apud Pomponium tribuit, nihil ad eum pertinet.

Zasij lapsus.

C. LIVIVS DRVSVS.

Liuiorum familia quanquam plebeia, seroq; ad magistratus Patricios admissa, tamen & ipsa admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura etiam & magisterio equitum honorata, clara & insignibus uiris, ac maxime Salinatore Drusisq;: princeps in ea consulatus M. Liuius Denter, anno ab V.C. CCCCII. deinde M. Liuius post duos Consulatus & di-

ctaturam

ctaturam Salinator dictus, quod in Censura nouum uectigal ex Salaria annona commentus putabatur ex odio populi, quod iniquo eius iudicio post Consulatum multa irrogata se damnatum dolebat: qua quidem etiam indignitate uniuersas tribus, præter unam Metiam, leuitatis nomine notauit, & ærarias reliquit, quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum iterum Consulem ac Censorem fecissent, neq; inficiari possent, aut iudicio semel, aut comitijs bis ab se peccatum esse. Collegã quoq;, qui se dempto equo inter ærarios retulisset, pari nota affecit. Post C. Liuius Drusus, hostium duce Druso comminus trucidato, sibi posterisq; suis cognomen inuenit. Traditur etiam proprætor ex prouincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolij datum, nec (ut fama est) extortum à Camillo. Is & Cos. fuit cum Africano minore, eius abnepos, ob eximiam aduersus Gracchos operam patronus Senatus dictus. filiũ reliquit, quem in simili dissensione multa uarie moliente͂, diuersa factio per fraudem interemit. Ex hac stirpe natum C. Liuium Drusum tanta laude iuris scientiæ celebrari à Valerio Maximo deprehendi, ut, licet à Pomponio præteritum, inuolui silentio passurus non sim. Ea nanq; industria ac studio fuisse hominem tradit, ut & ætatis uiribus, & acie oculorum defectus, ius ciuile populo benignissime interpretatus sit, utilissimaq; discere id cupientibus monimenta composuerit. Nam ut senem illum natura, et cæcum fortuna facere potuit: ita neutra interpellare ualuit, ne non animo & uideret et uigeret. Sanè qui'nam præcipue is fuerit, aut quibus temporibus, pro certo non posuerim. Cicero tres in oratorum numerum Drusos refert, M. Drusum C.F. qui in Tribunatu C. Gracchum collegam iterum Tribunum fecit, uirum & oratione grauem & autoritate: eiq; proxime adiunctum C. Drusum fratrem, & M. Drusum patricium, auunculum magnum M. Bruti eius, qui Cæsarem occidit, qui fuerit grauis orator, ita duntaxat, cum de Republica diceret: quem ego illum esse opinor, quem post multa Paterculus in Tribunatu iuuenem occisum tradit. Ex his ego illum Caium C.F. opinor iurisconsultum fuisse, quem secundo loco posui, M. Drusi fratrem.

Pomponij incuria.

trem. uideo enim Drusum cæcum ab eodem Cicerone alibi Caium uocari: tametsi in ijs maxime prænominibus mendosi codices sunt. Idem Cicero de hoc iureconsulto scriptum reliquit, domum eius (ut acceperit) compleri consultoribus solitam: &, cum, quorum res esset sua ipsi non uiderent, cæcum adhibebant ducem. Durauit genus ad imperatoria usq; tempora. Fuit enim M. Drusus consul cum Calphurnio Pisone, anno DCCXXXIX. ab V.C. ut apud quosdam inuenio: principatu scilicet Octauij Cæsaris. Sed & Liuius Drusus in hanc familiam per adoptionẽ insertus, cum naturale genus ab Appio pulchro Appij Claudij cæci filio duceret, Liuiæ Drusillæ pater (tametsi apud Paterculum mendose scriptum est Iuliæ) eius, quam postea Octauius uxorẽ duxit, qui partibus Bruti et Cassij, in quibus fuerat, uictis, ne tentata quidem hostis misericordia, ipse se in tabernaculo interemit, filia augustum honorem per maritum Liuiæ genti addidit: Tiberio filio, pronepote Caio Caligula, nepote D. Claudio fastigium imperatoriæ dignitatis adeptis.

Paterculi locus emendatus.

C. MARTIVS FIGVLVS.

ANcum Martium regem Romanũ Numæ Pompilij ex filia nepotem, principem Martij generis ferunt: cuius filij duo propè puberes relicti, ne cæso quidem Tarquinio Prisco successore patris regnare potuerunt, sed Suessam Pometiam in exilium sponte profecti, damnatiq; substitere. Regij tamen tituli honos durauit in gente, Romã (opinor) exactis regibus reuersa. sunt enim dicti Martij reges. Eorum nemo Cos. legitur, præter unum Q. Martium collegam M. Catonis Nepotis, anno ab V.C. DCXXXVI. Adeò summi generis amplitudo semel prostrata, diu interdum iacet. Ea tamen propè reuixit in Iulio Cæsare. Siquidem auia eius paterna huius nominis fuit. Legimus & Martios Rutilios, & Tremulos, & Philippos, & Figulos, & Rallas, de plebe omnes. Ex Figulis primùm Cos. reperio C. Martiũ cum Nasica Corculo, anno ab V. C. DXCII. & septennio post iterum cum Cornelio Lentulo. Is filium genuit C. iuris ciuilis studio celeberrimum. Qui cur à Pomponio prætermissus sit, equidem satis mirari non possum. Eum etsi mansuetissimi ingenij.

genij, ira tamen prudentiæ ac moderationis aliquando immemorem redderũt. Nam, cum in petitione consulatus repulsam tulisset, tanto dolore accensus est, atq; eo magis, quod illum honorem bis patri suo datum meminerat, ut, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa uenissent, omnes dimiserit, ita præfatus: Omnes consulere scitis, consulem fateri nescitis. Dictum grauiter, & meritò, sed tamen aliquanto melius non dictum. Nec quidquam ultrà de eo comperi.

P. RVTILIVS RVFVS.

NAutia gens, quæ Rutiliorum cognomen assumpsit, Troianæ originis fuisse proditur. Nautius namq; autor generis, cum Aenea domo profugus, sacerdos Palladis urbium custodis fuit, eiusq; simulachrum in Italiam transtulit. quod inde Nautij per manus traditum custodiuere. Neuij quoq; (nisi fallunt codices Liuij) Virginij patriciæ gentes, et Martij plebeia eodẽ cognomine fuerũt, ut non falsò grammatici, quibus ista consectari curæ fuit, scribere uideantur, antiquas mulieres, quod studiosæ rufi, id est, rutili coloris fuerint, primùm Rutilas Rutiliasq; dictas, quasi ualde rufas: itemq; uiros Rutilios. Ex Nautijs & Virginijs Rutilijs multi sub initia Romanæ libertatis cõsulatus summosq; alios honores gessere. Primus Sp. Nautius V.C. annis duobus & uiginti post pulsos reges. plurimi deinde Nautij, Virginij, Martij, quorum omnium titulos exequi longum est. Cæterum qui primus Rutilij nomen, non cognomen, habuerit, legitur Sp. Rutilius Crassus, gente patritia, tribunus consularis anno ab V.C.CCCXXXIX. Fuit et M. ille Rutilius Censorinus, qui iterum creatus censor, ad concionem uocatum populũ, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset, cuius tempus, quia nimis magna uideretur, maiores coartandum iudicassent. Vterq; recte, & Censorinus & populus. alter enim ut moderatè honores crederent præcepit, alter se moderato credidit. Insertus est familiæ & Q. Fabius Rutilianus (tametsi quidam Rollianum malunt) qui primus ex Fabijs ob uirtutem Maximi cognomen adeptus, hæreditarium generi reliquit. qui consulatus

tus quinq;, tres triumphos dictaturam, censuramq; unam gessit, alteram repudiauit. cui mortuo tantum æris liberalitate populi congestum est, ut inde filius uiscerationem & epulas publicè dederit. Inter cognomina & Calui fuere. Familiam ijs honoribus illustrem excepit P. Rutilius Rufus hic iureconsultus, non minus dignam seriem posterorum, ut in seruiente Republica post se habiturus. Is itaq; P. Rutilius Rufus M.F. adolescens P. Mutium Scæuolam sectatus est, ab eoq́; & iuris scientiam & innocentiæ morumq́; opinionem hausit. Tribunus plebis, cum prius eius honoris candidatus repulsam tulisset, C. Mancinum proconsulem, Numantinis ex senatusconsulto in pœnam turpis cum illis initi fœderis deditum, neq; acceptum, domum reuersum, & in senatum uenire ausum extrahi iussit: quòd eum ciuem negaret esse. quia sic esset memoriæ proditum, ei, quem populi Romani iussu pater patratus dedidisset, nullum esse ius postliminij. Consulatũ inde cum petisset cum M. Aemilio Scauro, acri homine, & uehementi, repulsusq; esset, non modo accusauit ipse ambitus competitorem Scaurum designatum consulem, sed & à Scauro absoluto uocatus est ipse in iudicium. in quo illud acute atq; concinne coniectura explanatum est aliter, quàm esset. Nam cum accusator Scaurus ostenderet in Rutilij tabulis literas A.F.P.R. idq; ita interpretaretur, Actum fide P. Rutilij: Rutilius autem ita, Ante factum, pòst relatum: C. Cannius eques Romanus, qui Rutilio aderat, exclamauit, neutrum illis literis significari. &, cum Scaurus interrogasset, Quid ergo? Aemilius fecit, plectitur Rutilius: inquit Cannius. Postea tamen consul fuit, cum C. Mallio, anno ab V.C. DCLI. quo in magistratu armorum tractandorum meditationem militibus tradidit, ac nullius ante se imperatoris exemplum secutus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, uitandi atq; inferendi ictus subtilitatem ac rationem legionibus ingenerauit: uirtutemq́; arti, & artem rursus uirtuti miscuit, ut illa impetu huius fortior, hæc illius scientia cautior fieret. Idem quoq; de iure tribunorum militarium, ut à consule, non à populo fierẽt, legem tulit. Vnde illi Rufuli Rutiliq; dicti, neq; aliud

quid-

quidquam propter scriptorum paucitatem ab eo dignum memoria gestum in consulatu reperio. Asiæ inde proconsul fuit. Sed & in Saturnini tumultu Remp. adiuuit. Admirabile etiam exemplū constantiæ, grauitatis, innocentiæ præbuit. cum enim aliquando amici cuiusdā iniustæ rogationi resisteret, isq; indignatus dixisset, Quid ergo mihi amicitia tua, si nihil abs te impetro, opus est? Respondit Rutilius, immo quid mihi tua, si propter te inhonesti aliquid facturus sum? Nec tamen, quamuis innocentissimo, fortunæ & improborum uim effugere licuit. In iudicium enim ordinum magis dissensione, quàm sua culpa reus, à M. Scauro repetundarū nomine uocatus est: conspirantibus in eum publicanis, propterea quod legatus C. Marij proconsulis ab eorum iniurijs Asiam defenderat, quamuis eorum ordini adolescens ipse reo aliquando non defuerat. Sed plus ualuit recens iniuriarum memoria. quo quidem in iudicio mirifice Rutilij uirtus constantiæ enituit. Nam nec mutare uestem sordidamq; induere sustinuit, neq; insignia senatoris deponere, neq; capillū barbamúe ad cognitionis usq; diem summittere, nec supplices ad iudicum genua manus tendere, nec dicere quidquam, quod non splendori præteritæ ætatis suæ, et gestorum magistratuum responderet. Et cum ea tempestate florerent in republica eloquentissimi uiri L. Crassus; & M. Antonius consulares, adhibere eorum neutrum uoluit. Dixit ipse pro sese, & pauca C. Cotta, quòd sororis eius erat filius: & is quidem tamen ut orator, quanquam erat admodum adolescens: & Q. Mutius, enucleate ille quidem & polite, ut solebat, nequaquam tamen ea ui atq; copia, quam genus illud iudicij & magnitudo causæ postulabat. Igitur pertæsus iudicium, cum multa, tametsi falsò, se indigna, quæ ad suspicionem stuprorum ac libidinum pertinerent, audire cogeretur, uir totius æui non modò sui seculi inter Rom. optimus, innocentissimus, sanctissimus, temperatissimus, Mariana seditione et iudicum qui causam dicerent omnibus seculis, periurio uictus, ab ingrata ciuitate in exilium abire maluit: damnatusq; est Equitum sententijs, qui tum Gracchanis legibus iudicia obtinentes, in optimum quemq; maxime sæuiebant, præsertim si publi

cani qui ex eodem erant ordine anniterentur. Cæterum illo Rutilij iudicio conuulſam penitus eſſe Remp. exiſtimatum eſt. Illam certe in maximo gemitu ciuitatis laudem tulit: ut Socratem, quo neminem unquam in terris uixiſſe meliorem hominē Philoſophi putant, egregie imitatus homo Rom. & conſularis uideretur. Sic enim damnationem ſuam tulit, tāquam illi nihil moleſtum eſſet aliud, quàm quod male iudicaretur. Aſiam igitur petenti ut exuli, triumphare contigit. Siquidem omnes illius prouinciæ ciuitates legatos ei obuiam miſerunt, orantes pro ſe quæq; ut tanti uiri hoſpitio atq; exilio ornarentur: ipſe Smyrnam incoluit, ibiq;, cum ei reditum in patriam Syllana uictoria præſtaret, in exilio, ne quid cōtra leges faceret, aut ciuili ſeditione reuocatus uideretur, quamuis reuocante Sylla, ſubſtitit: ei reditū ſuum negare auſus, cui nihil tunc negabatur. Neq; tantum ſolus dictatori aliquid negauit, & reuocatus non redijt, ſed longius etiam fugit. uiderint (inquit) hoc iſti, quos Romæ deprehendit fœlicitas tua: uideant largū in foro ſanguinem, & ſupra Seruilianū lacum (id enim proſcriptionis ſpoliarium eſt) Senatorum capita, & paßim uagantes per urbem percuſſorum greges, & multa milla ciuium Rom. uno loco poſt fidem, immo per ipſam fidem trucidata: uideant iſta, qui exulare non poſſunt. Itaq; paſſus eſt iniquiore animo eripi ſibi exilium, quàm ſe patriæ. Ergo literarum ſtudijs uacans in Aſia, Smyrnæ conſenuit: & ciuitatis dono ultro affectus, ciuis eſſe Romanus deſijt. Quin & cum ab amico quodā prius conſolaretur, diceretur'q; inſtare arma ciuilia, breui futurum eſſe ut cum exulibus cæteris reduceretur: Quid tibi (inquit) mali feci, ut mihi peiorē reditum quàm exitū optares? malo ut patria in exilio meo erubeſcat, quàm reditum mœreat. Ibi dum eſſet uerſareturq; in Aſia, exorto inter Mithridatem regem ac Romanos bello, Mitylenis à rege deprehenſus, cum Rex uno die Romanos omnes qui in Aſia erant per literas occidi iußiſſet, crudelitatē eius in togatos, ueſtitus mutatione uitauit, ſibiq; ſoccos & pallium Græco more induxit, quod erat homini Romano alioqui dedecori. Sylla inde in Aſia res gerente, cū Fimbria deſperatis omnibus colloquium Syllæ expetiſſet, ille Rutilium

Seruilianus lacus.

lium (hunc opinor) ad Fimbriam misit: qui oranti ueniam Fimbriæ pollicitus est fore, ut à Sylla usq; ad mare tutus dimitteretur, si ex Asia, cuius proconsul Sylla esset, enauigare uellet. quod ille ægre ferens, paulo pòst manus sibi ipse intulit. Eodem Mithridatico bello, cum Marius & Eumachus duces à Mithridate aduersus Lucullũ missi essent, magno exercitu breui congregato, cum P. Rutilio (nescio an hoc nostro) apud Chalcedoniã congressi, eum plurimamq; exercitus eius partẽ ceciderunt. Hæc in uita & moribus, illa in doctrinis præstitit Rutilius. Inter oratores non obscurũ locum tenuit, sed in quodã tristi ac seuero genere dicendi uersatus est, & natura uehemens et acer, & studio etiã Stoicæ philosophiæ, cui præceptore Panætio operam dedit, Græcis literis non modo eruditus ac doctus, sed propè in Stoicis perfectus: quorũ peracutum & artis plenum orationis genus, sed tamẽ exile, nec satis populari assentioni accommodatũ. Itaq; illa, quæ propria est huius disciplinæ, philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc uno et stabilis inuenta est. In forensibus actionibus ac patroni munere multa opera multáq; industria fuit: quæ erat propterea gratior, quod idem magnũ munus de iure respondẽdi sustinebat. Ergo orationes reliquit, Ciceronis iudicio, ieiunas. Multa insuper præclare de iure scripta composuit, quorum interdũ testimonio posteriores usi sunt, & habitus est in Stoicis oratoribus. Eum ita doctum existimauit Lucillius, ut in suis illis publicis eruditorũ reiectionibus, Tarentinis, Consentinis, Siculis se scribere diceret: propterea quod Rutilij, Persij, Scipionis iudiciũ reformidaret. Inter orationes unam reliquit de modo ædificiorum, quam postea Augustus recitauit Senatui, et notã populo per edictũ fecit: quo magis persuaderet, eam rem nõ à se primo animaduersam, sed antiquis iam tum curæ fuisse. Neq; uero sibi tantũ seuerus fuit (quamuis hoc præcipua laude dignũ) sed & alios oratorijs fucis in iudicio utentes non dubitabat uituperare, & fures flagitiososq; dicere: ut L. Crassum et Galbã, cæterosq;. Panætio præceptori suo plurimũ tribuit. itaq; solebat dicere, Vt nemo pictor esset inuentus, qui Veneris eã partẽ, quam Apelles inchoatã reliquisset, absolueret,

(oris-

(oris enim pulchritudo reliqui corporis imitãdi spem auferebat) sic ea quæ Panætius intermisisset, et non perfecisset propter eorũ quæ fecisset præstantiam, neminem esse prosecuturum. Reliquit etiam historias & libros de uita sua, quorum nihil ad nostram ætatem seruatum est. Peruenit usq; ad Ciceronis tempora, ut à quo uisus auditusq; sit. Fundum in Formiano habuit. Sanè non satis constat, an is sit P. Rutilius, quẽ traditur leui morbo impeditum, nunciata fratris in petitione cõsulatus repulsa, illico expirasse. Nam tres P. Rutilios hoc tempore intra XXX. propè annos reperio Consules: hunc Rufum, & eum qui aliquanto antè cum Popilio Lenate Consul fuit: alium P. Rutilium Lupum, qui post Rufum hunc nostrum annis quindecim honorem eundem gessit. Certe constat hunc iurisperitum in exilio indignissime mortuum, ut qui maleuolentiæ immerito non sacer, fortunæ aduersæ impetum non ad imminutionem uirtutis, sed ad experimentum contulit. Sororem habuit Rutiliam, quæ pari uirtute C. Cottam filium, cum is depulsus per inuidiam Tribunatu, nõ multis ab eo tempore mensibus eiectus esset è ciuitate, secuta est in exilium: & usq; eò fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati quàm desiderium, nec ante in patriam quàm cum filio rediit. Eundem iam reductum, & in Republica florentem, tam fortiter amisit, quàm secuta fuerat. Nec quisquam lachrymas eius post elatum filiũ notauit. In expulso uirtutem ostendit, in amisso prudentiam. Nam & nihil illam à pietate deterruit, et nihil in tristitia superuacua stultaq; detinuit. Fuit & Rutilius Lupus, qui Gorgiæ Græci rhetoris sui temporis quatuor libros de figuris in unum suum transtulit, qui nunc uersatur in manibus.

Rutilij tres.

Q. AELIVS TVBERO.

T*uberonum, quos ex Aelijs Pætis fuisse suprà ostendimus, (nam & Posthumios, Tuberones & Tubertos legimus) primum inuenio P. Aelium Prætorem, sub finem belli Punici secundi. Ea quoq; familia haud uno fuit Iureconsulto contenta. E duobus qui sanè ætatibus distincti sunt, maior Q. Aelius Tubero, natus est ex Q. uel ut alibi est, C. Aelio Tuberone, cognomento Catelio (uel ut*

est

est apud Plinium, Cato Aelio: *etsi ferè suspicor utrunq; deprauatum ex* C. Aelio. *neq; enim hic fuit ille* Catus Aelius Sextus) et Aemilia L. Pauli, *qui Persam deuicit, filia. Itaq; auunculum habuit* P. Africanum *minorem, qui* Pauli *& ipse filius, in* Scipionum *familiã per adoptionem uenerat.* Pater Tubero, *uir fuit optimus, & magnæ in* Republica *autoritatis: sed ita tenui patrimonio, ut sex et decem uiri ex* Tuberorum *familia simul unis ædibus, & quidem modicis, cum coniugibus & liberis habitarent, eodem loco, quo postea fuerunt Mariana monumenta. Erat ijs unus in agro* Veiente *fundus, multo pauciores cultores desiderans, quàm haberet dominos: inq; maximo circo* Flaminio *spectaculi locus, quæ quidem loca ob uirtutem publicè donata poßidebant. Eadem gens nullum antea scrupulũ argenti habuit, quàm* Paulus, Perse *rege deuicto, huic* Q. Tuberoni *genero suo phialam quinq; pondo argenti ex præda donaret. In talem tamen domum princeps ciuitatis* Aemilius *collocare filiam suã nõ recusauit, ipse quoq; gloria quàm pecunia ditior.* Tuberoni *uero iureconsulti patri hoc quoque gloriosum contigit, quòd, cum in expeditione contra* Persem *esset, socerum comitatus, dedenti se* Perseo, *& in castra* Romana *proficiscenti, obuiam missus est à* Paulo: Tuberoniq; *custodiendus traditus est* Rex, Magni Alexandri *inter successores inclytus. Eidem consulatum gerenti, in quem socero successerat, cum* Aetolorũ *gens omnis usus uasa argentea magno pondere, exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti, retulerant fictilia se in eius mensa uasa uidisse, monitos, ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iußit.* Quàm bene Aetolicis *domestica prætulerat, si frugalitatis eius exemplũ posterior ætas sequi uoluisset. Sed quo paulo postea uentum est? A seruis uix impetrari poterat, ne eam supellectilem fastidirent, qua uti consul non erubuerat.* Plinius *enim eundem hunc esse tradit, qui fuerit* Aemilij *gener. Ex hoc patre ortus* Tubero *iurisperitus, uita seuerus durusq; fuit, & congruens cum* Stoica *disciplina, quam colebat: & à* Panætio Græco *philosopho dies noctesq; studiosè hauserat, adeò ut*

Plinij locus.

in triumuiratu contra Africani auunculi sui testimonium non dubitauerit iudicare, uacationem auguribus, quo minus iudicijs operam darent, non competere. Eundem tamen Africanum post mortem funebri laudatione à C. Lelio, ut fertur, conscripta de more laudauit. ipse enim nullo in oratorum numero est habitus, sed ut uita, sic & oratione durus, incultus, horridus: deniq; mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. quod ferè Stoicis omnibus propter nimiam in arguta illa et arida dialectica consuetudinẽ contigit. Itaque honoribus maiorum paupertate orationis respondere non potuit: tametsi ad consulatum peruenisse eum scribit Pomponius, quod ego in breuiarijs non comperi: constans alioqui ciuis, & fortis, summaq; uirtute & prudentia, & inprimis Graccho molestus. quamobrem & Gracchi in eum oratio, & Tuberonis in Gracchum plures relictæ sunt. Cognitione uero iuris non modo non cessit maioribus suis Tubero, uerum etiam doctrina præcelluit. Scripsit etiam historias, unde multa citant Liuius, Dionysius, Gellius: & librum ad C. Oppium, & de officio iudicis. Existimabat etiam nullum senatusconsultum fieri posse, non facta discessione: & ius esse Præfecto urbis latinarum causa relicto, Senatus habendi. De eo illud quoq; traditur: cum esset à Fabio Max. epulum populo Romano nomine P. Africani patrui sui defuncti dante, rogatus, ut triclinium sterneret, lectulos ligneos Punicanos pellibus hœdinis strauisse, & pro argenteis uasis Samia exposuisse. cuius rei deformitate sic omnes esse cõmotos, ut, cum alioqui uir egregius haberetur, comitijsq; prætorijs candidatus in campum L. Paulo auo, & P. Africano auunculo nixus, descendisset, repulsa inde notatus abierit. Nam ut continentiam semper priuatim probabant, ita publice maxima cura splendoris habebatur. Quocirca Romana ciuitas non unius conuiuij numerum, sed totam se in illis pelliculis iacuisse credens, ruborem epuli suffragijs suis uindicauit. Sed quid cum populo bellua multorum capitum agas? Qui sapientius æstimant, hoc uno facto Tuberonem ciuis optimo ac summo uiro comparare non dubitant: & Lælijs ac Catonibus inserunt, quibus uidetur censura illa fuisse, nõ cœna. Inde

de illa Senecæ cōquestio: O quàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa sit, aut quemadmodum petenda. Illo die populus Romanus multorum supellectilem spectauit, unius miratus est. Omnium illorū aurum argentumq; fractum est, & millies conflatum: at omnibus sæculis Tuberonis fictilia durabunt. Paupertatem enim se dignam et Capitolio iudicauit, cum fictilibus in publica cœna antè ipsius Iouis cellam usus, ostendit debere his hominem esse contentum, quibus dij etiam tum uterentur. Hunc (ut diximus) etiam Cos. fuisse, autor est Pomponius: quod equidem apud alios non inuenio. Vir certe fuit & eruditus, & honestus, et nobilis, ciuis optimus, atq; integerrimus. Quędā ad eum scripsit præceptor eius Panætius, ut de dolore patiendo: & epistolas, quibus inter cætera præcipiebat, ut Crantoris ueteris academici libellum de luctu aureolū ediſceret ad uerbum. Discipulus quoq; Panætij Hecaton Rhodius, de Officijs ad Tuberonem scripsit. Idem Tubero L. Lucullum Xersem togatum appellabat, propter ea ædificia et moles, quas in Campania mari imposuerat, quæ Tubero haud sanè admirabatur.

PAVLVS VIRGINIVS.

PAulum quoq; Virginium hoc ferè ordine Pomponius enumerat, de quo ipso nihil memini scriptum legisse. Virginia gens antiquissima, patricij ordinis, ut ex qua Opiter Tricostus Ostricatus'ue cognomine, octauum à pulsis regibus cōsulatum tenuerit: is, qui Cameriam urbem euertit. Multi deinde Virginij insignes uiri, uarijs cognominibus, Tricosti, Celimontani, Rutilij. Fuit et alia plebeia, quam illustrauit ille interfector filiæ. Ex utra ortus iureconsultus, incertum.

SEX. POMPEIVS.

SEx Pompeius Sex. F. Cn. Pompei Magni patruus, præstantissimum ingenium contulit ad summam iuris ciuilis, & ad perfectum geometricæ ac rerum Stoicarum scientiam. Fratrem habuit Cn. Pompeium, in aliquo oratorum numero. Ipse ad Ciceronis usq; adolescentiam peruenit. De maioribus eius haud sanè multa prodita monumentis legimus. Consulatum primus intulit in familiā Q. Pom

peius cognomento Nepos, anno ab V.C.DCXIII. Nec quisquam postea traditur Cos. in gente, ante Gn. Pompeium Strabonem, huius nostri germanum, Magni patrem: qui Syllanas partes acriter sustinuit. Dignitas generis à filio ad summum concessæ in libera ciuitate amplitudinis gradum prouecta, in nepotibus frustra Cæsarianæ tyrannidi obluctatis, penè funditus concidit. Duo tamen Sex. Pompeij per Octauij principatũ longo interuallo in numerũ Coss. referuntur. Fuerat & Q. Pompeius Rufus, Strabonis in consulatu successor. Inuenio etiam Sex. Pompeium prætorij uiri patrem, Hispaniæ citerioris principem, cum horreis suis uentilandis præsideret, correptum dolore podagræ, mersisse in triticum sese supra genua, leuatumq; siccatis pedibus, mirabili modo: hoc postea remedio usum esse.

Remedium contra podagram.

L. CAELIVS ANTIPATER.

L. *Cælius Antipater, quamuis inter iurisperitos numeretur, maiorem tamen eloquentiæ quàm scientiæ iuris operam dedit. neq; tamen ita, ut sit magnus orator habitus, aut nimis facundè historiam conscripserit. paululum modo se supra Pictorem, Pisonẽ, Catonem, Fannium, Vennoniũ, antiquiores rerum Romanarũ scriptores erexit: & addidit historiæ maiorem sonum uocis. nam illi nõ exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerant. ita is illos quidem uicit: sed ne ipse quidem distinxit historiam uarietate locorum, neq; uerborum collocatione, & tractu orationis leni & æquabili perpoliuit illud opus, quod Salustius postea, & T. Liuius egregie absoluit. Sed ut homo neq; ualde doctus, neq; maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolauit: & paulo inflauit uehementius, habuitq; uires agrestes ille quidem atq; horridas, sine nitore ac palæstra: sed tamẽ admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberẽt. Et tamẽ Adrianus imperator, uetusti generis dicendi studiosus, hũc Salustio præferebat. Deniq;, ut temporibus illis, luculentus scriptor fuit, iuris ualde peritus: multorum etiam, ut L. Crassi summi oratoris, non P. Crassi Mutiani (in quo Zasius fallitur) magister: & cum eodem Crasso familiariter uixit, estq; uir optimus existimatus. De huius*

Zasij error

huius quoq; maioribus pauca comperi. nec nisi circa eius tempora C. Cælium Caldum Cos. *nam quem alij antea* P. Cælium Ligo-*nem numerant, est apud Liuium sæpe* Aelius *Ligur*. Addidit deinde *familiæ nonnullum decus* M. Cælius Rufus, *uir prætorius, nõ leuis orator: pro quo extat* Ciceronis *oratio, & eius epistolarum liber in ter Tullianas. uixit enim cum eo familiarissime.*

Q. MVTIVS SCAEVOLA AVGVR.

Q. *Mutius Scæuola Augur, is est, quem* Cicero *in libris de O ratore facit cum* L. *Crasso genero suo, quem & ius ciuile docuit, de oratoris officio differentem, & in dialogo de Amicitia di sputantem. meminit & in* Bruto, *multisq; præterea locis. Eum enim adolescens* Cicero *coluit, ad eumq; frequentissimè uentitauit, & ius ciuile ab eo didicit. Is Mutius in oratorum quidem numero non fuit, sed, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecunijs repetundis contra* T. *Albutium: quo in iudicio, cum esset absolutus, bellè obiurgauit Albius Granium. cum enim Granij tabulis quiddam Al butius in Scæuolam probasset, ualdeq; absoluto Scæuola gauderet* Granius: Non *intelligis (inquit* Albius*) contra tuas tabulas Grani esse iudicatum? Iuris autẽ ciuilis intelligentia, atq; omni prudentiæ genere et Stoica philosophia, ut Panætij auditor, præstitit. Quo magis miror à* Pomponio *Iureconsulto in cõmemoratione Iurisperi torum esse præteritum, cum & domum eius quotidie maxima con sulentium frequentia & maximorum hominum splendore celebratam legamus, ita ut propè habita sit totius oraculum ciuitatis: nisi quod fortè scripti nihil reliquit. Habitus est etiam percomis & face tus, ut in eundem accusatorem suum* T. *Albutium. qui quum ut uideretur Græcus, usq; ad ineptias affectaret, à Scæuola est prætor salutatus Athenis. Quem quidem locum cum multa uenustate & omni sale posuit Lucillius, apud quem præclarè Scæuola:* *Pomponij incuria.*

Græcum te Albuti, quàm Romanum atq; Sabinum,
Municipem Ponti, *Titi, Anni, Centurionum,*
Præclarorum hominum ac primorum, signiferumq;,,
Maluisti dici: Græce ergo Prætor Athenis,,

Quod id maluisti, te, cum ad me accedis, saluto.
χαῖρε, inquam, Tite, lictores, turma omnis, cohorsq́ue.
Hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.

Valerij Maximi lapsus.

Eum etiam pedibus laborasse constat, & tamen Scæuolam optimè pila lusisse in certo est: in quo tamen (si fas est dicere) suspicor hallucinatum Valerium Max. hæc nostro huic auguri tribuentem, quæ uidetur Cicero sub Antonij persona de P. Mutio Scæuola, cuius uitam suprà scripsimus, prodidisse, lib. primo de Oratore, his „ uerbis: Nam si (inquit) quisq; ut in aliqua arte & facultate excel- „ lens, aliam quoq; artem sibi assumpserit, is perficiet, ut, quod præte- „ rea sciet, id eius in quo excellet, pars quædam esse uideatur. licet „ ista ratione dicamus pila bene & XII. scrupis ludere proprium esse „ iuris ciuilis, quoniam utrumq; eorum P. Mutius optime fecerit. hæc Cicero: & quo minus ambigatur, illa præsente Q. Mutio hoc augure dicta sunt. de quo augure non sensisse Valerium, ne suspicandum quidem est, cum eum & Lælij generum & socerum L. Craßi dicat: tametsi pro L. Crasso P. Crassum exemplaria mendosa Valerij habeant, libro octauo, cap. octauo. Itaq; hæc de P. illo Scæuola ego accipio, qui decem libellos reliquit, de quo suprà diximus, fratre P. Craßi Mutiani. *Habuit igitur Q. Mutius Lælij filiam maiorem in matrimonio, ab eoq; in augurum collegiũ cooptatus est, C. Fannio altero genero præterito grandiore. Filiam suam Mutius ipse nuptui dedit summo oratori L. Crasso: à quo ita est reueritus, ut magistratus petens, cum omnium candidatorum more circa forum supplex ambire populum cogeretur, nunquam adduci potuerit, ut id præsente socero suo grauißimo & sapientißimo uiro faceret. itaq; rogabat eum Crassus, ut à se, dum ineptæ rei inseruisset (quod erat blandius petere) discederet, maiorem uerecundiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ suæ respectum agens. Idem Mutius tanta moderatione erat, ut, cum de iure prædiatorio consuleretur, homo peritißimus consultores suos nonnunquam ad Furium & Cassellium prædiatores reijceret: quod putabat negociũ ab his aptius explicari posse, qui quotidiano eius usu callebant. Prætor Asiam obtinuit,*

Valerij locus emendatus.

in

in qua cum esset Rhodi, sæpe cum dicendi magistris, præsertim clarissimo Apollonio contendere consueuerat, philosophiam oratoriæ facultati anteponens. Consulatum etiam gessit anno ab V. C. DCXXXVII. in quo magistratu de Dalmatis uictis cum collega triumphauit. Alij collegam solùm, idq; sine causa, triumphasse scribunt. Cum Sylla depulsis prostratisq; inimicorum partibus Remp. occupasset, Senatumq; armatus coëgisset, & summa cupiditate ferretur, ut quàm celerrimè Senatus C. Marium hostem patriæ iudicaret, nec quisquam Senatorum uoluntati eius resistere auderet, solus Scæuola de re interrogatus, dicere sententiā noluit: quin etiā truculentius sibi minitante Sylla, licet (inquit) agmina militum, quibus curiam circumsedisti, mihi ostentes, licet mortem identidem mi niteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemq; meū sanguinem Reip. hostem Marium iudicem, à quo urbs & Italia conseruata est. Bello etiam Marsico cum esset summa senectute, & perdita ualetudine, quotidie simulatq; lucebat, faciebat omnibus cōueniendi sui potestatem: neq; eum quisquam illo bello uidit in lecto, senexq; & debilis primus ueniebat in curiam. Idem confectus iā senectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus ac debilis, cum propter Saturnini tumultum Senatus capienda esse arma decreuisset, hastili nixus, & animi uim, & infirmitatem corporis ostentauit, nec patriæ, ne extremo quidem in spiritu defuit. Habuit Mutius subiratū Lucillium poëtā, Satyrarū autorem. à quo etiam carminis licentia impetitus est, & quidē patientissimè, unde illud est Iuuenalis: Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non? Irridens autē Mutiū Lucillius, sic loquentem faciebat in Albutiū aduersarium suū: Quàm lepide lexeis cōpostæ, ut tesserulæ omnes,
Arte pauimento, atque emblemate uermiculato.
Crassum habeo generum, ne rhetoricoteros tu sis.

Q. MVTIVS SCAEVOLA PONTIFEX MAXIMVS.

P. Mutij, à quo decem de iure ciuili libellos esse relictos suprà demonstrauimus, filius Quintus cognominē habuit Mutiū:

augu-

augurem, cuius item uita superius scripta est. Itaq; sacerdotio distinguuntur, ille etenim Augur, hic Pontifex Maximus fuit, quod sacerdotio patrem quoq; eius Publium functum ostendimus. Cæterum is filius Tribunatum gessit: eoq; tum in rostris sedente, suasit Seruiliam legem L. Crassus, qui cum uiro eloquentissimo postea consulatum gessit Scæuola, cæterosq; omnes magistratus, præter Tribunatum, quem anno pòst, et censuram, quam aut semper spreuit, aut certe nunquam assecutus est. In consulatu legem tulit, ne esset pro ciue, qui ciuis non esset. Traditur etiam (hunc enim opinor) Q. Scæuola P. filius primus omnium Romæ plurium simul leonum pugnam in spectaculis curulis ædilitatis edidisse. Proconsulatũ quoq; Asiæ obtinuit: quo exituro illud peruenuste dictũ contigit per dissimulantiã, quam Ironiam Græci uocant. Nã cum rogaretur à Septumuleio Anagnino, cui pro C. Gracchi turbulentissimi ciuis capite erat aurũ repensum, ut se in Asiã præfectũ duceret: Quid tibi uis (inquit) insane? tanta malorum est multitudo ciuiũ, ut tibi ego hoc confirmẽ, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas diuitias esse uenturũ. Prouinciã tã sancte tamq; fortiter administrauit, ut nõ modò, si quis integrũ magistratũ dicere uellet, Q. Mutiũ eum appellaret: sed etiã Senatus deinceps in eam prouinciã ituris magistratibus, exemplũ atque formã officij Scæuolã decreto suo proposuerit. Illud sigillatim traditur, nullum ibi iudicem ex cohorte sua iudicandis rebus dare solitum. Edicto quoq; nescio cui exceptionẽ illam addidit, extra quam si ita negocium gestum est, ut eo stari non oporteat ex fide bona. Illud quoq; edixit, ut Græci inter se legibus suis disceptarent: atque alia multa, quæ quàmplurimi postea magnæ integritatis uiri in sua transtulerunt. Inimicissimos uero habuit propter seueritatem suam

Publicani.

publicanos, genus hominũ morosum, & nihil non sibi pecuniæ studio indulgeri cupiens: Romæ tamen, quod splendidissimum ex equestri ordine esset, nimio plus quàm oportuisset potens. Scæuola autẽ ita seuerus, ut à iure æquoq; & bono nullius causa dimoueri, ne transuersum quidem (quod aiunt) unguem unquam potuerit. Gloriã iusticiæ & abstinentiæ eo illustriorem ex prouincia retulit, quod

cito

rito deceßit. Nam solus nouem menses Asiæ præfuit. Ciuili quoq; tumultu Saturnini, armatus pro patria accurrit. Omnino moribus ornatißimis fuisse traditur, nam & parcorum elegantißimum, & in multa seueritate comem fuisse, & multis præterea rebus elegantem hominē, constat. Fundum habuit pertenui uilla, ut uix messem caperet, cum eadem ætate uilla Luculli fundum desideraret. itaque uterq; ab agriculturæ peritis in eo reprehensus est. Studia hæc maxime coluit. Habitus est præter iuris ciuilis cognitionem in patronorum atq; oratorum quoq; numero. Erat enim & disciplina iuris eruditißimus, & ingenio prudentiaq; acutißimus, & oratione maxime limata atq; subtili, uerbisq; ad rem summa cum breuitate explicandam mirabiliter accommodatis: ut eum non immerito collega eius Crassus iurisperitorum eloquentißimum, eloquentium iuris peritißimum existimauerit. Clarißima eius oratio fuit in iudicio M. Curij, & M. Coponij apud centumuiros. cum enim ita substitutus esset Curius Posthumo, si is antea moreretur, quàm in suam tutelā peruenisset, Scæuola Coponium ab intestato hæreditatem petentē defendit, negauitq;, si Posthumus natus non esset, locum substituto factum. ita enim scriptum esse, ut & nasci eum oporteret, & pupillum decedere. Contrà collega eius L. Crassus ex bono & æquo, autore Mutio Augure socero suo, substitutum admittendum esse contendit, etiam non nato Posthumo: quòd id sensisse testator uideretur, ut, etiam si non natus esset Posthumus, admitti tamen substitutum uellet. Vterq; uero ita se in ea causa iactauit, ut omnium iudicio laudatißimi discesserint. Multa dixit Scæuola de testamentorum iure, de antiquis formulis, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam non nato Posthumo substituere testator Curium uoluisset: quàm captiosum esset populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quæri uoluntates, & interpretatione disertorum scripta simplicium hominum peruertere. Multa etiam de autoritate patris, qui semper id iuris esse defenderat. Multa quoq; de conseruando iure ciuili. quæ quidē omnia tam perite, scienter, breuiter, presse, ornate explicuit, ut nemo in populo fuerit, qui aut expectaret, aut fieri posse quidquā

melius putaret. Cuius tamen sententia D. Marci & Veri constitutione reprobata tandem est. Dixit & pro P. Rutilio repetundarum reo, enucleate, & polite, et orationes aliquot scriptas reliquit. Eiusdem multa in iure ciuili feruntur dicta. Nam & formulam iurisiurandi condidit, quo in arrogationibus uterentur. Et dicere solitum ferunt, non esse usurpatam mulierem, quæ, cum Cal. Ianu. apud uirum matrimonij causa esse cœpisset, ad diem quartum Cal. Ianu. sequentis anni usurpatum isset. Non enim posse impleri trinoctium, quo abesse à uiro usurpandi causa ex XII. tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Cal. Summam uim esse dicebat in omnibus arbitrijs, in quibus ageretur ex fide bona. Fideiq́; bonæ nomen existimabat manare latissime, idq́; uersari in tutelis, societatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, uenditis, conductis, locatis, quibus uitæ societas continetur. In his magni esse iudicis statuere, præsertim cum in plerisq; essent iudicia contraria, quid quenq; cuiq; præstare oporteret. Ipse cum aliquãdo postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idq́; uenditor ita fecisset, dixit se pluris æstimare, addidit centum millia: adeo à uiri boni officio non discedebat. Pontifices ab eo dictos interpretabatur, quod possent facere nexum, quicquid per æs et libram fieret aut obligaretur, præterquàm si daretur mancipio. multorumq; præterea uerborum etymologias conatus est sedulo retrahere, quæ fugitiua obliuio maioribus iam tum ademerat. Dicebat, ut ex patre etiam audisset, Pontificẽ neminẽ bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. Primus ius ciuile constituit generatim in libros decem & octo redigendo, plurimosq; auditores habuit: sed præcipuæ autoritatis, Gallum Aquilium, Lucilium Balbum, Sex. Papirium, C. Iubentiũ. Ei & Cicero adolescens operam dedit post Scæuolæ Auguris mortem, ab eoq; multa didicit, quorum meminit præcipue de Legibus: cum de ijs agit, qui sacris defuncti alligentur. eum ita probauit Scæuola, ut diceret fore, ut Mariana quercus in Arpinati, quam Cicero carmine celebrasset, canesceret sæculis innumerabilibus. Is quanquam nemini se dabat ad docendum, tamen

consulentibus

consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Fit autem, ut quum tot sint Scæuolæ, multa circumferātur, quæ ad quem pertineant, incertum sit, nisi aut prænomen, aut signum aliud adijciatur. Nam etsi pontifex dicitur, nescias patrem'ne an filium accipi oporteat. ut illud, quod est apud Macrobiū: solitum Scæuolam pontificem dicere, qui ferijs indictis cōceptisue opus fecisset prudens, expiare non posse. quod tamen Varro innuit ad filium pertinere, quum scribit: Prætor, qui illis ferijs prudens sit fatus, ex Q. Mutij sententiá ambigi, eum expiari ut impium nō posse. Itemq́; illud: Scæuola (inquit) consultus, quid agi ferijs liceret, respondit, quod prætermissum noceret. Tametsi hæc promiscue dicta libentius ad filiū retulerim, qui est celebrior habitus, iuris præsertim cognitione: nisi quæ aut temporum aut alia impediat ratio. Illud uero, quod legitur pertulisse Q. Mutium multa aspere, & ferociter, & libere in se dicta, ad utrum referemus? Augurem: in quo genuinum fregit Lucillius? an pontificem? qui proconsulatu Asiæ, ac reliqua seueritate inimicitias sibi publicanorum conflauit? & illud, quod inter moderationis animi exempla in Q. Scæuola excellentissimo uiro adnotatum est. Testis namq́; in reum productus, cum id respondisset, quod salutem periclitantis magnopere læsurū uidebatur, discedens adiecit: ita sibi credi oportere, si & alij idem asseuerassent. quoniam unius testimonio aliquem credere, pessimi esset exempli. Et religioni igitur suæ debitam fidem, & communi utilitati salubre consilium reddidit. Sed (ut ad huius certa & propria reuertamur) orta inter Syllam & Marium contentione, quum pro Sylla sensisse crederetur, Marianiq́; urbem inuasissent, sub specie habendi senatus, instigante Mario filio tum Cos. Damasippi prætoris iussu (alij Damam, quidā Damascium tradunt) omnis nobilitas conuenit: obsessaq́; curia, sic de Senatu, quasi de carcere qui iugularentur, educti. Tum Scæuola fugiens, et Vestales amplexus aras, ad Marij funus in curia Hostilia á C. Fimbria iam grandis natu trucidatus est, ita ut sanguine suo sacrarium & simulachrum Vestæ respergeret. Quem cum ex uulnere aliquantisper recreatū Fimbria, ac posse uiuere conspexisset,

adiecit ſceleri ludibrium. Scæuolam enim apud populum accuſare inſtitit, eiq; diem dixit. Interrogatus deinde, quid de eo ſecus dicturus eſſet, cui pro ſanctitate morum, ſatis digna laudatio reddi non poſſet? Ille (ut erat furioſus atq; inſaniſsimus) reſpondit, ſe obiecturum illi, quòd parcius neq; totum corpore telum recepiſſet. Attamē Scæuola obijt, corpusq; inde in Tyberim proiectum eſt. Hunc uir optimus, temperantiæ ac prudentiæ ſpecimē, infœliciſsimū exitum fortunæ iniuria eſt perpeſſus. Mors eius tantum potuit, ut omnes ciues ſuos perdiderit: quos quia ſeruare per compoſitionem uolebat, ipſe ab eis interemptus eſt, neq; id imprudens. Nam cum dicere ſoleret, ſe id fore uidere, quod factum eſt, poſſetq; ſuas partes extra urbem ſequi: ſe id malle prædicabat, quàm, cum diſceſiſſet, armatū ad patriæ mœnia accedere. Lucanus tamen, ante Marij patris mortem ſignificare uidetur extinctum eſſe Scæuolam, illis uerſibus:

Te quoq; neglectum uiolatæ Scæuola dextræ,
Ante ipſum penetrale deæ, ſemperq; calentes
Mactauere focos: parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit iugulo, flammisq; pepercit.
Septimus exequitur repetitis faſcibus annus.
Ille fuit uitæ Mario modus.

Blondi, Cottæ, Zaſij error.

Quam necem Blondus magno errore Mutio Auguri adſcribit. ut contrà Mediolanenſis Cotta huic illud de reijciendis ad Furium & Caſellium conſultoribus, quod nos ſuprà Auguri tribuimus. Neque minus imperitè Zaſius ab Augure ad hunc transfert illud de domo eius à Cicerone ſcriptum in perſonam L. Craſsi, quæ fuerit habita totius oraculum ciuitatis: & de ſeditione Gracchana, cuius tempore non hic, ſed pater eius P. Mutius Cos. fuit. Hunc antiquiſſimum ferunt inter eos, quorum ex libris confecerit Iuſtinianus pandectas iuris ciuilis, unumq; tantum ibi librum eius acciri definitionum.

C. AQVILIVS GALLVS.

AQuilij generis nobilitas utinam tam egregio quàm ueteri facinore conſtaret. Siquidem inter coniuratos reducendi Tarquinij regis per proditionem, Aquilij ex ſorore Collatini Cos.

nati,

nati, leguntur. & Cos. C. Aquilius anno XXIII post pulsos reges, aliquotq; deinde Corui, Floriq; Galli cognomine. Primus inuenitur L. Aquilius, qui Prætor Siciliam obtinuit anno ab V. C. DLXXVIII. Hac ortus familia C. Aquilius Gallus eques Romanus, à Q. Mutio Pontifice Max. ius ciuile didicerat. Cumq; acutus esset & exercitatus promptam & paratam in agendo & respondendo celeritatem obtinuit: fuitq; maximæ autoritatis apud populũ Romanũ, & res multas iudicabat, transactionibusq; sese interponebat, & peritissimus existimatus est. Itaq; regnum quoddam eius iudiciale erat, cuius gratia à petendo etiam Consulatu abstinuit, cum præterea morbum iurasset. Ipse Seruium Sulpitiũ ius ciuile docuit, & ab eo illustratus est. Nam alioqui scripta eius nõ talia fuere, quæ in posterorum manibus magnopere uersata sint atq; expetita. Celebre est illud æquitatis eius exemplum. Nam cum C. Visellius Varro graui morbo correptus, trecenta millia numûm ab Octacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus esset, eo consilio, ut, si decessisset, ab hæredibus eam summã peteret, quam legati genus esse uoluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. Euasit deinde ex illa tempestate aduersus uota Octaciliæ, quæ offensa quod spem prædæ suæ morte non maturasset, ex amica obsequenti subito districtam fœneratricem agere cœpit, numos petendo: quos ut fronte inuerecunda, ita inani stipulatione captauerat. De qua re C. Aquilius uir magnæ autoritatis, & scientia iuris ciuilis excellens, iudex adductus, adhibitis in consiliũ principibus ciuitatis, prudentia & religione sua mulierem repulit. Quod si eadem formula & Varro damnari; & aduersaria absolui potuisset, eius quoq; non dubito quin turpem & inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit. Nunc priuatæ actionis calumniam ipse compescuit, adulterij crimen publicæ quæstioni iudicandum reliquit. Remp. etiam attigit, & optimatium partibus adhæsit: id est, ijs qui diligere patriam uidebantur. Domũ habuit in colle Viminali, consensu omnium multo cæteris omnibus Romanis ædibus illo æuo pulchriorem: ut existimari posit, secundum nostrorum homi

num in ueteribus pecunijs æstimandis diligentiam, ducentis circiter millibus nostratium aureorum habitasse Gallus. Eius nonnulli, hodieq; ostendi fundamenta apud Susannæ autores sunt: quod an ad Iurisperitum referendum sit, frustra dubi: at Zasius. Inter repentinæ mortis exempla numeratur P. Quintius Scapula, qui apud hunc cœnans repente animam efflauerit. Filium etiam habuit Gallus, quem uiuens amisit. Vixit cum M. Tul. Cicerone familiariter. Collegæ enim in prætura fuerunt: eumq; orantem iudex non semel audiuit. Iurisdictionem etiam de ambitu exercuit. Solebat Gallus cum de littoribus ageretur, quærentibus ijs ad quos ea res pertinebat, quid esset littus, ita definire, qua fluctus eluderet: describens scilicet per translationes uerbi ex similitudine cum quadam suauitate, ut Oratores & Poëtæ solent. Ac, si quando aliquis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quæreretur, quia id nihil ad ius pertinebat, Ad Ciceronem, inquibat Gallus: oratoris munus esse interpretans. Cumq; Gallus de dolo malo formulas protulisset, euerriculum malitiarum omnium (nam antea in tutela tantum XII. tabulis et circunscriptio adolescentium lege Plectoria, & sine lege, iudicijs, in quibus ex fide bona agebatur, dolus malus erat uindicatus) quærente de eo Cicerone, quid esset dolus malus: respondebat luculenter, ut homo peritus definiendi, Cum esset aliud simulatum, aliud actum. Huius uiri prudentiam Populus Romanus in cauendo, non in decipiendo perspexit: iuris enim ciuilis rationẽ nunquam ab æquitate seiungebat. Multos annos ingeniũ, laborem, fidem suam populo Romano promptam expositamq; præbuit. Deniq; ita iustus & bonus uir fuit, ut natura, non disciplina consultus esse uideretur: ita peritus ac prudens, ut ex iure ciuili non scientiam solum quandam, uerumetiam bonitatem ei natam appareret. Eius tantum fuit ingenium & prompta fides, ut, quicquid inde haurires, purum liquidumq; te haurire sentires, ideoq; responsa eius maximæ apud iudices autoritatis erant, ex quibus multa ad huc in libris Digestorum extant, celeberrimum illud de Posthumis nepotibus hæredibus instituendis.

L. LVCILLIVS BALBVS.

L. Lucillius Balbus doctus & eruditus ac peritißimus homo, & ipse Seruium Sulpicium instruxit in iure ciuili. In agendo & respondendo considerata tarditate utebatur. Eius quoq; scripta parum uersata sunt in posterorum manibus: sed à discipulo Seruio maxime illustratus est. Is plurimum consulebatur. Dedit et Stoicæ philosophiæ operam, qua in disciplina tantos progressus habebat, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. Itaque etiam Antiochus Græcus philosophus ei opus suum quoddam misit, ex quo eum Cicero partes Stoicorum in suis libris defendentẽ fecit. P. etiam quendam Octauium Balbum iuris peritißimum, ingenio prudentissimum, fide, religione, officio diligentißimum, nominat in oratione pro Cluentio Habito, & in Verrem, qui aliquando iudex fuerit. Vt idem esse poßit, ratio temporis: ut non poßit, uarietas nominũ facit. De origine aut antiquitate gentis uix quicquam comperi, ut inter nouos homines numerari Lucillius poßit. Fuit eodem nomine Poëta Satyrarũ apud Latinos autor, & qui primus condidit styli nasum, ætate paulo superior Balbo, ex Aurunca.

CN. AVFIDIVS, ALIIQVE.

CN. etiam Aufidium significat Cicero inter iuris peritos fuisse, licet eum omiserit Pomponius. Is cum esset cæcus, tamen & in Senatu sententiam dicebat: cum esset Prætorius, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, multumq; uidebat in literis. Et ut una defungamur opera, idem Cicero aliquot sparsim enumerat circa hæc tempora, aut paulo antè, à Pomponio præteritos. credo, quod nihil scripti reliquerant. In ijs est C. Aculeo matertera Ciceronis uir, qui cum L. Crasso oratore familiariter multumq; uixit, filiusq; eius C. Visellius Varro consobrinus Ciceronis, C. Fimbria, Q. Lucretius Vispillo, C. Bilienus, P. Quintilius, M. Marcellus, L. Valerius ille facetißimus, Ciceroni familiaris, cum quo per literas festiuißimè iocatur, & sodalem suum nuncupat. sed & P. Consa, quem facetißime irrisit Cicero. Nam quum in iudicio de re quadã testis interrogatus, negasset se quicquam scire:

Fortasse

lustrauit. Originem gentis & titulos in Papirio maiore executi sumus. Huius Papirij prænomen ex Sex. in L. mutare nititur Zasius, ratione imbecilli. Zasij error.

P. SERVIVS SVLPITIVS.

SVlpitiorum familia Romæ nobilissima antiquissimaq; fuit, ut ex qua oriundus Galba Imperator, paternam originem ad Iouem Minoemq; retulerit, proposito etiam stemmate in atrio Palatinæ domus. Relictam in Hetruria sobolem ferunt ex Glauco Minois filio, qui bello illis gentibus illato captus, Vetuloniæ substiterit. Multi tamen Sulpitij, sub liberatam à regibus Romam illustres cognomento Cametini, coniecturam faciunt, gentem Cametio oriundam fuisse. Vtcunq;, uaria gentis cognomina atq; honores exequi hoc loco non uacat. Illud nõ prætereundum, ex Sulpitijs Galbis Augustũ patremq; eius inter iurisperitos à nonnullis numerari. Nam pater modicæ in dicendo facultatis, causas industrie actitauit. Filius inter liberales disciplinas attendit & iuri. Sed res eorum gestas eleganti libello Suetonij inter Cæsares, relatas repeti superuacaneũ est. Itaq; redeò ad Seruium Sulpitium, cui quidam prænomen P. addunt, Cicero etiam Rufi & Lemoniæ cognomina. Rufum quidem Sulpitium primum dictum inuenio post Camerinos, Cossos, Cornutos, trib. consularem annò, quo urbs à Gallis capta sit, ut inde durarit in gente. Cæterum significare uidetur Cicero quodam loco, gentem Seruiam præcipuam quandam, & à Sulpitia diuersam fuisse, cum ait ad allusionem nominis fingi posse, originem à Seruio rege Romano traxisse. Vtcunq; sit, auus Seruij huius nulla illustri laude celebratus: pater Q. Seruius equestrem locum nõ excessit. Itaq; P. Seruius Sulpitius Rufus Lemonia, cuius nunc uitam scribimus, memoriam generis sui prope intermortuam uirtute renouauit. Is adolescentiæ suæ annos eloquentiæ exercitationibus philosophiæq; impendit, eiusq; adipiscendæ gratia Rhodum est cum Cicerone profectus, quo melior esset, & doctior. & inde ut rediit, cum in eloquentia & patronorum numero principi cuiuis par esse posset, maluit tamen in iure ciuili primum, quàm in eloquentia Ciceroni proximum locum obti-

nere. Scribit autem Pomponius, *cum in causis orandis Seruius primum locum, aut certe post* M. Tullium *obtineret, dici ad consulendum* Q. *Mutium Pont. Max. de re amici sui uenisse: cumq; responsum* Mutij *de iure* Seruius *parum intellexisset, iterumq;* Mutium *interrogasset, ne secundum quidem responsum percepisse. itaq; obiurgatum à* Mutio, *quòd diceret turpe esse patricio & nobili uiro, & causas oranti, ius, in quo uersaretur, ignorare. Ea ueluti contumelia tactum* Seruium, *ait* Pomponius, *iuri operam dedisse, sub* Gallo Aquilio, *Lucillio* Balbo, Sex. *Papirio,* C. *Iuuentio. Iuris autem scientia ita excelluit, ut omnes non eiusdem modò ætatis, sed eos etiam qui antea fuissent, longe superauerit. etsi enim iuris ciuilis magnum usum multi ante Seruium habuerant, is tamen primus arte quadam eam scientiam pertractauit. Dialecticam enim adhibuit, qua confusum antea ius in partes distribueret, definiret, interpretaretur, distingueret, regulam deniq; haberet, qua uera à falsis dignosceret, uideretq;, quæ quibus propositis essent, quæq; non essent consequentia. Adiunxit & literarum scientiam, et loquendi elegantiã. Cumq; discendi causa duobus peritissimis operam maxime dedisset,* L. Lucillio Balbo, C. Aquilio Gallo, *Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & respondendo celeritatem, subtilitate diligentiaq; superauit:* Balbi *docti & eruditi hominis in utraq; re consideratam tarditatem uicit, expediendis conficiendisq; rebus. Sic & habuit, quod uterq; eorum: & expleuit, quod utriq; defuit. Itaq; sapientissime, cum duæ ciuiles artes ac forenses plurimum & laudis haberent & gratiæ, perfecit, ut altera præstaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset & ad tuendũ ius ciuile & ad obtinendam senatoris dignitatem satis.* Reipublicæ *quoq; assidue se dedit, in qua, quod memoriæ proditum sit, hæc ferè egit.* Quæsturam *cum* L. Murena *petijt, priorq; renunciatus est. & sortitus prouinciam* Hostiensem, *non tam gratiosam & illustrem, quàm negotiosam & molestam, in ea ferè nomen eius consedit. Nullum enim ei sors campum dedit, in quo excurrere uirtus et cognosci posset. Inde se ad iuris exercitationem cauendi, respondendi, scribendi.*

bendi.

bendi contulit: plenum sollicitudinis & stomachi ius ciuile didicit, multum uigilauit, laborauit, præsto multis fuit, multorum stulticiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exorbuit, uixit ad aliorum arbitrium, non ad suum, multas indignitates deuorauit. Præturam inde longo interuallo cum eodem Murena petijt, ac prior designatus est. in qua casu nullos ludos edidit, cum collega magnificentissimos exhibuisset. Quæstionem peculatus sorte habuit, in qua Reip. gratia multos & lædere non infimos uiros, qui publicam pecuniam auerterant, & scribam damnare necesse habuit. Functus prætura, exire in prouinciam noluit. Cum Cicerone in omni consuetudine, & reip. administratione uixit coniunctissime. Studiosum etiã sui habuit M. Catonem Vticensem. Ciceronis consulatu, ipse Seruius in insequentem annum petijt: sed declaratis Syllano ac Murena, repulsam ipse tulit, accusauitq; ambitus Murenam Seruius per filium: quod flagrantibus comitijs tam constanter denunciarat, ut minitari interim non destiterit, se, quisquis collegarum ambitum exercuisset, accusaturum: legem etiam ferri de ambitu nouam flagitauit. Lata est grauiore, quàm cæterarum in reos pœna: ita ut ne morbi quidem excusationem admitti uoluerit, quin ad comitia iretur. Confusionem etiam flagitiorum flagitauit, prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratiæ, dignitatis, suffragiorum, ædilitios iudices esse uoluit. Loca non dari in circo aut foro amicis aut tribubus: deniq; abiecto propemodum petitoris munere, accusatoris partes assumpsit. Quæ omnia tametsi irrideat Cicero, eiq; forte apud imperitam plebeculam offecerint, negari tamen non potest iusti ac grauis & incorrupti ciuis fuisse, & quin ipse plus gloriæ ex repulsa, quàm corruptores ex adepto consulatu, retulerit. Post octo deinde annos, cum turbata rep. neq; Coss. creatis, res sæpe ad interregnum redisset, ipse interrex ad extremum creatus, autore Senatu, constituendæ ciuitatis tumultusq; sedandi causa, dedit operam, ut Cn. Pompeius Magnus solus Cos. crearetur, ipsumq; ad V. Cal. Mart. mense intercalario Consulem renunciauit. Ipse sequenti anno, cum se in consulatu competitorem M. Catoni professus esset,

ingrati nomen apud plerosq; non effugit. Catoni tamen nimia seueritate in ea petitione uso, neq; ambire populum de more sustinenti, iam in petendo cautior, sine ulla tamen, uel ipsius Catonis testimonio, corruptela, prælatus est: collegamq́; habuit M. Marcellum. In eo magistratu hæc ferè memoratu digna ab eo gesta esse traduntur. Ciceronem in Ciliciam prouinciam cum imperio profecturum, legionibus militum, quibus ea contra Parthorum incursiones defendebatur, supplementum in Italia cum scribere Senatus concederet, Seruius Cos. non permisit. Et, cum primis temporibus collega eius adimere prouincias Gallias C. Iulio Cæs. antè tempus uellet, idq; ad Senatum retulisset, neue absentis in petendo consulatu ratio haberetur, Seruius bellum ciuile commoueri hac Marcelli acerbitate intelligens, restitit: Senatumq́; accuratissimè monuit, collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quæ ab alijs inflicta Reip. uulnera intestinis seditionibus meminissent. scirentq́;, cum superiores nullo tali exemplo antea in Rep. cognito, tam crudeles fuissent, quicunq; postea Remp. oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. quod enim exemplo fieret, id etiam iure fieri existimari, addi prætereа afferriq́; à nouis multa de suo. Neq; toto consulatu destitit prædicere, quàm esset pestiferũ futurum bellum. Vicit tamen uel dignitas uel fatũ Reip. factumq́; est S.C. pridie Cal. Octob. ut proximo anno circiter Cal. Mart. de prouincijs ageretur. Re inde sæpius dilata, multis cõditionibus utrinq; propositis, neq; conuenientibus, tandem ciuile bellum, carnis complutæ, neq; putrefactæ, sed ab auibus direptæ, prodigijsq́; alijs præmonstratum, erupit, initio anni ab V.C. septingentesimi tertij. In quo Seruius eam est moderationẽ secutus, ut et quoad licuerit, à bello abesset: neq; tamen destiterit, & conciliare pacem, & Reip. dignitatem defendere. Nam cum pulso ex Italia Pompeio, Romam Cæsar cum exercitu uenisset, senatu paucorum habito, in quo Seruius ualetudinis impedimento retentus Romæ, interfuit, ita est locutus, ut diceret: (tanta fuit hominis constantia) neq; placere sibi Cæsarẽ cum Rep: bellum gerere, neq; in Hispanias, ut facturum apparebat, ad Pompeij legatos exercitusq́;

oppugnandos proficisci: tentandam pacem, et Pompeium Senatumq; qui cum eo magna ex parte ab urbe fugerat, in Italiam Romamq; reuocandos. nihil deniq; prætermisit, aut querelarum aut monitorum. Quæ cum frustra dixisset, Cæsare in Hispanias profecto, ipse cum Cicerone, etiam tum in Italia circa sua prædia commorante, locutus tandem est, ne Reipublicæ deesset: in Africam profectus, ibi Iubam regem, partes Reipublicæ secutum, C. Curione Cæsaris legato fuso, fugato, cæso, Vticam deduxit. Sequenti anno, Cæsare post uictum Pharsalico prælio Pompeium, potito rerum, Seruius finem sibi belli fecit, & in Græciam se contulit. In Italiam enim neq; audebat, neq; (quod M. Antonio Cæsar Alexandria scripserat, prohiberet omnes Senatores Italia, nisi quorum ipse causas cognouisset: ut scilicet uafer tyrannus eam indulgentiæ umbram suo sceleri nefario prætenderet) licebat. Ibi aduentu Cæsaris in Italiam diutius expectato, nunc se Athenis, nunc Sami alijsq; Græciæ locis continuit. Scholisq; etiam Græcorum more habitis, Patricios Romanos inq; his M. Brutum frequenter auditorem adhibuit; cum de iure Pontificio, quæ ex parte cum ciuili coniungeretur, disputabat, solatia tanti mali interim à studijs petens. Cum Cæsar tandem reuertisset, non modo restitutus ab eo, sed Græciæ quoq; præfectus est: quam prouinciam aliquandiu ille summa moderatione, summaq; iusticia, ac prudentia singulari administrauit. Ibi M. Marcello collegæ suo per Magium Chilonem clientem interfecto, funus nobilissimum, monumentumq; Athenis in Academiæ gymnasio faciundum curauit. Reuersus in Italiam, Cæsare tandem interfecto, autor Senatui decernendi fuit, ne qua tabula post Idus Mart. quo die cæsus ille fuerat, ullius decreti Cæsaris aut beneficij figeretur. Mox tamen tumultuante Antonio Cæsarianisq; desperata Republica iacebat, & ad tempus abfuit Roma. Octauio inde, qui postea Augusti honorem ab oppressa Republica extorsit, magis quàm meruit, in Seruij sententiam decretum à Senatu est, ut omnes magistratus ei antè tempus annalium legum petere liceret, quod is Antonio, concitatis ueteranis ad urbem diripiendam properanti, restitisset. Cumq; menses

aliquot summa autoritate, & optime de Republica sentiens Seruius uiguisset, bello tandem per M. Antonium triumuirum scelestissimũ ciuem in Rempublicam reuocato, cum ille Mutinæ D. Brutum obsideret, creatus à senatu Seruius legatus cum L. Philippo, & L. Pisone consularibus ad M. Antonium, si fieri posset à perditis consilijs ad sanitatem pacemq; reducendum, legationis eius curam, quoad potuit, ualetudinis excusatione uehementer deprecatus est. Quod cũ non impetrasset, itinere iam, sed nondum legationis munere confecto, ingrauescente morbo extinctus est, uxore ac filio superstitibus, Hircio & Pansa Coss. Ei de more, quod in legatione mortem obijsset, Cicero pedestrem ex ære statuam faciendam, & in rostris collocandam, funusq; & sepulchrum Romam relato amplissimum sumptu publico condendum grauissima oratione contendit. Positam statuam & ætate sua extitisse pro rostris Augusti, corpusq; eius publico funere elatum, Pomponius et D. Hieronymus apud Eusebiũ autores sunt. Cæterum quod adhuc benignitate fortunæ orationẽ Ciceronis in manibus habemus, eaq; singulari uiro grauissimum & uirtutis & doctrinæ testimonium præstat: nos plura de eo scribere supersedebimus. Constet modò, hominem iusticia, fide, pudore, temperantia, grauitate, uirtutibus deniq; omnibus excelluisse. Vxorem habuit Posthumiam, quam adulterio à C. Cæsare corruptam, constans opinio est. Filium Seruium studijs (si Ciceroni credimus) deditissimum, moribusq; & uirtute præstantem, cuius etiam operum autoritate Festus nõ raro utitur. Eum scribit idem Cicero militasse cum Cæsare, & ad obsidendum Brundusij Pompeium à patre missum. quod postremum per iracundiam scilicet dictum est. Reliquit & filiam, quam in matrimonium duxit Q. Tubero Iureconsultus, cuius uita paulo pòst suo loco ponetur. Scripta sua de iure Seruius pater multa iam tum uiuus edidit, quibus nulla fuisse similia Cicero tradit. Pleraq; eorum scripta ad Cercinnam insulam, eumq; ibi aliquandiu uixisse Pomponius significare uidetur, ambiguis tamen neque sat integris uerbis. Nam de Sicyone quod ait Zasius, non puto ad illa tempora aut peruenisse Aquilium, aut Seruium didicisse ab

Zasij error.

eo ciuile ius, qui ipse iam tum grandis natu morti quàm disciplinæ aptior erat. Sunt qui & uersiculos ab eo, & quidem interdum ludicros & lasciuiusculos factitatos scriptum reliquerint. Festus eum in duodecim sæpe citat. Pomponius centũ propè octuaginta libros à Seruio relictos tradit. In his duos ad Brutũ perquàm breuissimos, ad edictum inscriptos: quam partem iuris ille primus scripto attigit. Plinius addit commentationem ab eo factam, quamobrem mensa linquenda non sit. Quod addit Zasius commentationem & librum ab eo compositum de Claris iureconsultis exemplo Ciceronis, cuius extat de Claris oratoribus opusculum, utinam uere diceretur, & ille labor extaret: melius dignitati huius ordinis quàm nostra hac opera consultum esset. sed Zasius nimirum fallitur. neq; Pomponius aliam quàm præceptorum suorum habitam à Seruio in eius operibus mentionem ostendit: Cuius tamen ex tam multis monumentis nihil ad nos peruenit, præter epistolas duas ad Ciceronem scriptas. sed eas prudentia, eaq́; uerborum ac sententiarum elegantia & subtilitate, ut de toto homine iudicium inde facere possimus. Illud ad extremum addemus, tantam ei curam omnis iuris percipiendi fuisse, ut non dubitauerit diligentissime per literas interrogare M. Varronem quid Fauissæ uerbum in iure censorio significaret: Vt discant nostrates hi iuris professores, non tam pro nihilo cognitionem proprietatis uerborum, & literarum politiorum professionem ducere. Eas ostendit Pompeius Festus fuisse locum iuxta templa, in quo fuerit inclusa aqua: aut in Capitolio cellis cisternisq́; similes, ubi reponi ea consueuerint, quæ facta essent in templo uetustate inutilia. Reliquit etiam Seruius ingentem discipulorum numerum, qui post Trebatium ordine referentur.

Zasij error.

C. TREBATIVS TESTA.

C. Trebatius Testa, eques Romanus, Iureconsultus, nullis (quod sciã) maioribus illustris. Adolescens in amicitiam fidemq; M. Tullij Ciceronis oratoris V. C. se contulit, eoq́; dum uixit, patrono fortunarum suarum & honoris est usus. Nam primũ, cum se Cicero Pompeio Magno annonæ per omne imperium præfecto

Ex lib. 7. Epistol. familiarium.

fecto legari passus esset, eum secum in prouinciam ducere, domumq; commodis & ornamentis omnibus honestissimum reducere in animo habuit. Deinde ubi id longius fieri mutariq; ferè sententiam suã uideret, Cæsari Gallias tunc cum imperio obtinenti, Trebatium cũ literis misit: & sæpe per literas diligentissime commendando effecit, ut in familiaritatem Cæsaris intimam perueniret, utq; ei Cæsar Tribuni militum stipendia, dempto etiam militiæ labore, deferret. Quam ab urbe absentiam initio, quod in loca inamœna & barbara uenisse sibi uidebatur, uix ferebat Trebatius, miroq; urbis & urbanitatis desiderio tenebatur. Paulatim tamen & Ciceronis adhortationibus, & Cæsaris gratia retentus in castris, in patriam non sine magnis emolumentis rediit. Quo magis miror Zasium credidisse, Trebatium insigni inter optimates dignitate secutum Pompeianas partes, interuentu Ciceronis restitutionem à Cæsare impetrasse, ac tum demum quæ diximus commoda consecutum. Fuit igitur postea Trebatius semper ex intimis familiaribus Cæsaris. Orto ciuili bello Cæsariano, quod Romanam Rempublicã ad extremum funditus euertit, orare, obtestariq; Ciceronem Trebatius literis non destitit, ut uel se Cæsari coniungeret, spe certa successus, & commoda belli omnia cum Cæsare communia habendi: uel, si senectutis excusatione in detrectando bello uti uellet, in Græciam se longe à bellis ad solitudinem otiumq; conferret. Iniquo animo passus Cicero, à Cæsare secum per Trebatii potius quàm per eius literas agi, nihil aliud respondit, quàm se nihil neq; dignitate sua, neq; Reipublicæ indignum esse facturum. Cæsare inde ex urbe ad Hispanias profecto, tentatoq; per Trebatium Seruii Sulpitii cum Cicerone colloquio, tandem Cicero ad Pompeium in castra ex Italia profectus est. Occupata deinde per Cæsaris tyrannidem Rep. fretus eius beneuolentia Trebatius, adeunte quondam Cæsarem cum pluribus honorificentissimisq; decretis Senatu, sedentem eum pro æde Veneris genitricis admonuit, ut P.C. assurgeret. quod ille ita ægre tulit, ut subirato uultu Trebatium respexerit. Quam tamen despecti senatus contumeliã autores inter præcipuas Cæsarianæ necis causas commemorant.

Zasii error.

memorant. Fuit Trebatius in iure ciuili singulari memoria, summa scientia. Praeceptorem habuit P. Cornelium quendam maximum, non satis celebrem suo nomine iurisperitū: quo fit, ut nihil sit, quod de uita eius praeterea tradi poßit. Natura fuit Trebatius familiaris & iocosus, ut ex epistolis ad eum Ciceronis, quibus nihil fieri possit festiuius, ostenditur. Familiares multos habuit, sed ut diximus, Ciceronē in primis: à quo etiam impetrauit, ut Aristotelis Topica, quae extant, in latinum uerteret, sibiq; dicaret, exemplis etiam ex iure ciuili adiectis. Ei si quid Ciceroni inter orandum aut etiam amicorum gratia incidisset, in quo esset iure ciuili opus, sumministrare, cumq; eo interdum etiam disceptare consueuerat. Aedes Romae habuit in Lupercali, fundos uillamq; Veliae in Lucania, domumq; etiam Papirianam, oppidum ipsum, & Vlubras, multaq; praetera in patrocinio. In honore fuisse etiam Octauij Augusti temporibus, significat Horatius Flaccus poëta, cum ad eum satyram scribens, patrem optimum appellat, & doctum. Deniq; Augustus dicitur, cum deliberaret, an usum codicillorum ante ea tempora insolitum sanciret, conuocasse sapientes uiros, inter quos Trebatium quoq;, cuius tunc autoritas maxima erat: & quaesisse, an posset recipi hoc, nec absonus à iuris ratione codicillorum usus esset. & Trebatium suasisse Augusto, quòd diceret, utilißimum & necessarium hoc ciuibus esse, propter magnas et longas peregrinationes, quae apud ueteres erant. ubi si quis testamentū facere non posset, tamen codicillos posset. Sunt qui locum ei etiam inter poëtas fuisse scribant, quod & Horatius innuit. Libros certe multos de Iure ciuili composuit, & de Religionibus nouem. Sed eius opera non nimis lectitari solita, scribit Pomponius. Fuit autem peritior iuris quàm eloquentior. Auditorem habuit Antistium Labeonem, eumq; ius docuit.

A. OFFILIVS.

Seruientis iam hinc ciuitatis hominum, ac proinde minus in gerenda Republica illustriū, uitas peragam, quorū ostendi maiores nequeant, aut certe quàm paucißimi. Quot enim familias, quantum florem nobilitatis cum bellis ciuilibus, tum dominatū ac tyran-

nide illa triumuirorum esse extinctum putamus? Sed ab intempestiuis ac nimium seris querelis ad historiam reuertamur. A. igitur Offilius eques Romanus, Seruij Sulpitij auditor, ab eo ius ciuile didicit. uixit Octauij Cæsaris imperio, ita ut iam tum uiuo Seruio (quod cõiectari ex Cicerone licet) de iure responderit. Floruit omnino his temporibus, quibus & Trebatius. Eo autem & Casselio, æquali itẽ suo, habitus est doctior. Apparet ab eo etiam re pecuniaria adiutum Ciceronem, aut omnino aliquid intercessisse inter eos commercij. Perseuerauit omnino in equestri ordine, quamuis esset Cæsari familiarissimus. Libros de iure ciuili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. Nam de legibus uicesimæ primus cõscripsit, de iurisdictione. Idem Edictum prætoris primus diligenter composuit. instruxit etiam iuris ciuilis scientia Q. Tuberonem.

A. CASSELIVS.

A. Casselius, uel, ut in plerisq; locis est, Ceselius, & ipse eques Romanus, Q. Mutij Volusij opera ius ciuile didicit, æqualis Trebatio atq; Offilio. Sed cum utroq; esset minus et doctus & peritus, eloquentia ambos anteibat. Itaq; eum ut uenustum etiam laudat Quintilianus. Consulenti enim mercatori, ac dicenti, nauem cum socio diuidere uolo, perdes: inquit. ex ambiguitate iocatus, quòd diuisæ nauis perdatur usus. Vrbanitatis enim miræ libertatisq; est habitus, præcipue tamẽ is iocus eius innotuit. Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatoriũ munus ederet, impetrarat, ut ædiles edicerent, ne quis in arenam aliud quàm poma mitteret. Forte ijs diebus à quodam consultus Casselius, an nux pinea pomum esset: respondit,
Zasij error *si in Vatinium missurus esset, pomum esse. quod Zasius immemoriter ad L. Cæcilium refert: rem omnem peruertens. neq; enim is fuit iocus Cæcilij: sed ille, quòd cum C. Cæsar alijs qui secum pila lusitabant, centena sestertia, illi uni quinquaginta dari iussisset, Quid? ego (inquit) una manu ludo, non duabus, ut tantundem accipiam? Optimum tamen iurisconsultum quoq; significare uidetur Horatius Flaccus, cum ait:*

Nescit, quantum Casselius Aulus,

Sed

Sed tamen in precio est, mediocribus esse poëtis,
Non dij, non homines, non concessere columnæ.

Fuit autẽ quæstorius, nec ultrà progredi uoluit, cum Octauius *Cæsar illi etiam consulatum offerret. credo quod eum* Reipublicæ *statum, accipiendis à tyranno magistratibus probare nollet: uir in libera ciuitate & natus, & ad uirilem usq; ætatem innutritus. Dedit enim singulare præclarißimæ libertatis exemplum, cum nullius aut gratia aut autoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerũ, quas* Triumuiri Reipublicæ *euertendæ (non, ut ipsi se appellabant) constituendæ,* Lepidus, Antonius, Octauius, *dederant, componeret formulam.* Hoc *animi indicio uictoriæ eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Et cum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amiciq;, ne id faceret, moneret: duas res, quæ hominibus amarißimæ uiderentur, magnã sibi licentiam præbere respondit, senectutem & orbitatem.* Huius *etiam opera usum se* Cicero *sub extrema uitæ tempora significare uidetur. Sanè* Q. *Mutium* Volusium, *quem nõ tam inter iurisconsultos, quàm ut magistrum* Casselij *nominat* Pomponius, *satis nõ scio, an in hunc censum refertã, satisq; integra sit codicis fides: sed tamen ostendimus, apud* Pomponium *etiam* Casselij *magistrum, tametsi à* Plinio Volcatius *dicatur, corrupto forte codice,* Volusium *esse debere, de quo illud scribit:* Plinius, Asturcone *è suburbano redeuntem, cum aduesperauisset, inuasum à latronibus, à cane esse defensum. Illud certe constat, à moriente* Casselio Q. *Mutium nepotem præceptoris sui* Mutij, *in honorem eius, testamento hæredem esse relictum. Nihil aliud è scriptis* Casselij *extitisse suo tempore* Pomponius *scribit, quàm unum librum* Benedictorum. *Alius fuit paulo antiquior* Casselius *ille prædiator, quem tamẽ* Cotta *per errorem cum iurisperito commiscet, &* Furium *prædiatorem iuris prudentibus annumerat. Alius item* Cesselius ille Vindex, *cuius frequenter* Gellius Commentarios *citat rerum antiquarum. Fuit enim ille, quantum apparet, grammaticus.*

Plinij locus suspectus.

Cottæ error

Q. Aelius Tubero, illustri familia, L. Tuberone patre, ingenioso ac docto homine genitus, patricio Romano, qui quondam legatus Q. Ciceronis proprætore Asiam obtinentis, fuerat; quòd esset Ciceronibus propinqua cognatione coniunctus: primũ orator fuit. itaq; adolescens, cum bello ciuili Cæsariano pater eius à rep. staret, & S.C. ad obtinendam pro patribus Africam missus esset, (quod quidem munus ille æger penè inuitus susceperat) cum eo filius in prouinciam contendit. Sed nauibus Vticam petens, cum prohibitus esset pater à Q. Ligario, qui prius eam prouinciam obtinuerat, eaq; inde ab Actio Varo occupata, oræ maritimæ præerat, ac neq; applicare littori, neq; haurire aquam ægrum siuisset, aut filium ualetudine affectum exponere in terram sublatis anchoris, recedere inde est compulsus, & in Macedoniam in Cn. Pompeij castra, à quo missus in Africam fuerat, reuersus cum filio est. Ibi uterq; bello acerrimè, prælio etiam Pharsalico interfuit. Apud uictorem deinde Cæsarem, finito bello, Tubero filius Ligarium accusauit, quod patrem suum cum imperio proficiscentem in African, repulisset: non tam causa, apud illũ præsertim iudicem, quàm offensa in illum Cæsaris fretus. Nam & Ligarius cum Republica contra Cæsarem senserat, eoq; nomine patria etiam tum carebat. Dixit autem Tubero tanta uehementia, ut Cæsar, certo iam consilio damnandi Ligarij, defensorẽ eius delectationis potius gratia, quàm cognoscendæ causæ, auditurum se dixerit. Ad extremum tamen Ligariorum fratrum bene de Cæsare meritorum ac Ciceronis preces, et facundia, plus apud Cæsarem, quàm crimen Quinti Ligarij aut oratio Tuberonis ualuere. itaque absolutus est Ligarius. Quintus Tubero inde à causis dicendis ad ius ciuile transijt, et Aulo Offilio operam dedit, doctißimusq; habitus est iuris publici ac priuati, & complures utriusque operis libros reliquit: sermone etiam antiquo affectauit scribere, & ideo parum grati ad posteros libri eius fuere. Is (opinor) est, qui Octauij dominatu consulatum cum Paulo Fabio Maximo gessit, anno ab Vrbe condita septingentesimo quadragesimo tertio, qui fuit (ut quidam computant) annus nonus ante exortam

Christi

Christi Dei: Quo in magistratu quid gesserit, ab autoribus non traditur. Serua quippe iam ciuitate, imago consulatus, non potestas permanserat. Inuenio tamen de curatoribus aquarum, facta esse in sententiam eius collegæq; Senatusconsulta plurima: quæ quia apud Iulium Frontinum extant, non apponam. Seruij Sulpitij filiam in matrimonium duxit, exq; ea filiam suscepit. Habuit & superior & insecuta proxime ætas alios quosdam Tuberonum nomine, quorum, quia ab hoc diuersi sunt, res prætermittimus.

P. ALPHENVS VARVS.

P. Alphenus Varus, auditor & ipse Seruij Sulpitij, plurimum inter æquales autoritatis habuit. Eum Vafrum appellat Horatius, cognominé ne gentili pro Varo, ut Horatianis interpretibus placuit: an totius iuris adiectione, quod ipsum idem alibi uafrum nominat, incertum. Is quocunq; cognomine, Cremonæ natus, in eo municipio diu sutrinam exercuit: tandem, ut Poëta iocose testatur, abiecto instrumento artis, clausaq; taberna, Romam se contulit, & Seruio operam dedit, eoq; iuris ciuilis cognitione atq; exercitatione peruenit, ut uel consulatum adipisceretur. Fuit enim (ut quibusdam placet) cum P. Vinitio Cos. Octauij Cæsaris dominatu, triennio post natum in terris Christum. Rerum antiquarum non incuriosus habitus, reliquit Digestorum libros: quorum uel quartum, & trigesimum citat Gellius, idemq; Collectaneorum secundum. Quo magis miror, fuisse qui scriberent ex Lampridio, Alphenum Alexandro principe iuri operam dedisse. nisi uero alter ille sit, eodem nomine & studio celeber. Satis constat Alphenum publico funere esse elatum. Fuit & alius eo nomine, Bebriacensi tumultu præfectus castrorum: & alius, de quo multa Cicero in oratione pro Quintio, sed nihil ad hunc.

CAIVS.

INter Seruij auditores Pomponius numerat et Caium, cuius nō modo nullum extat nomē, sed ne qui fuerit quidem satis scitur. Certe perabsurdum est, quod quidam fecerunt, credere hunc illum esse Flauium scribam, qui cornicum oculos confixerit, arcanis actio

nũ et iuris inuulgandis. Ille enim et longe antiquior, q̃ppe Ap. Cæci scriba, et Cn. prænomine fuit. Neq; minus inepte C. Drusum accipias, à Cicerone in iurisconsultis positũ. Nam et ille Seruio antiquior, et à nobis dudũ suo loco relatus. Aetate mea uenere in lucẽ Caij institutionũ lib. duo, unde Iustinianus multa in suas trãstulerat. Sed is'ne fuerit Seruij auditor, incertũ. Illud satis mirari nequeo, eũ, quicunq; tandẽ fuerit, adeo aut ignobilẽ genere ac maioribus, aut præstanti gloria extitisse, ut solo prænomine innotuerit. Et si ferè suspicor nomen eius in præfatione Iustiniani scriptũ, uitio exemplariũ in nostri dictionẽ deprauatũ. Quid enim ita suũ appellet Iustinianus, præcipue hunc Caiũ tot ante seculis demortuũ? Sunt qui Caiũ floruisse per imperiũ Caracallæ tradãt. Quod si recipimus, duos fuisse iurisperitos Caios temporũ interualla fateri coëgerint. Quæ Riuallius parum animaduertit, quum huius posterioris septimum librum de Origine uocabulorũ ab A. Gellio citari prodidit. Neq; enim ad illa usq; tempora peruenit Gellius, & iurisconsultum Caium non tam uocat, quàm innuit. Cæterum siue unum modò, seu duos numeremus, quod neuter satis est notus, & illa scripta quibus conferti sunt legum libri, utrius fuerint, in ambiguo est: ea hoc loco à nobis referentur, ut sunt apud Politianum, cui hanc quoq; lucubrationem nostri homines debent. Sunt autem hæc. Ad edictum prouinciale libri XXXII. ad leges XV. ad edictum publicum XV, qui soli tum reperti fuerunt: aureorũ septem. dodecadelti, idest XII tabularũ, sex. Institutionum tres, quos tamen Boëtius duos tantum fuisse significat, quum posteriorem commentarium Caij institutionum citat. de manumißionibus tres, fidei commissorum duo, de casibus unus, regularum unus, dotaliciorum unus, hypothecariæ unus. Nominat Iustinianus eius Commentarios etiam rerum quotidianarũ. præterea quod diximus, Gellius de Origine uocabulorũ opus, cuius ex septimo libro testimonium citat, si modo ille est Iurisperitus. Illud ad extremum testabor, prænomen hoc Caij apud Pomponium uideri suppostitium, nisi uerò gemino prænomine Offilium C. A. uocemus. Quem morem duplicandi prænominis an ueteres usurparent, non-

Iustiniani locus suspectus.

Riuallij error.

Pomponij locus.

nondum satis obseruaui. Est tamen apud Liuium (nisi codices fallunt) non semel Q. P. Philo. Mouet, quod Seruij auditores Pomponius decem numerat, plures exponit. Quod cum & Zasius uideret, exuberantia tamen nomina neq; expunxit, neq; ad decem homines contraxit: id quod ita fiet, si abolito, aut ad Offilium proximum'ue Titium (C. enim Titium in Cicerone & Macrobio legimus) translato C. prænomine, C. deinde Atteium Pacuuium pro uno eodemq; accepimus. Duæ nanq; hominum appellationes decuriam illam auditorum Seruij perperã in Pomponio augent. Ita unus ille relinquetur, posterior Caius, solo prænomine & modò enumeratis operibus illustris, hoc ipso loco ad expurgandum Pomponij codicem paulo ante tempus à nobis expositus.

Zasij obseruatio inaccurata.

TITIVS CAESIVS.

E*Iusdem Seruij auditor à Pomponio in numerum iurisprudentum refertur Titius, incerto ex uarietate codicum cognomine. Varie enim Cæsius Celsusq; dicitur. De quo quidquam tradi uix licet. Titij duo, C. & Sex. ferè æquales apud Ciceronem in oratoribus habẽtur, sed paulo etiam quàm Seruius ætate superiores, ut nihil nisi aliqua forsitan necessitudine ad hunc pertineãt. Quorum C. eques Romanus iudicio Ciceronis eò eloqẽutiæ peruenit, quò potuit ferè Latinus orator, sine Græcis literis & sine multo usu peruenire. Eius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habebant, ut penè Attico stylo scriptæ esse uiderentur. Easdem argutias in tragœdias, satis quidem ille acute, sed parũ tragice transtulerat, quem studuit imitari L. Afranius poeta. Sex. uero Titius orator fuit, loquax sanè & satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quædã nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. Adeò cauendum est, nequid in agendo dicendo'ue facias, cuius imitatio rideatur. Scribit idem Cicero ad P. Cæsium literas, sanè quasi ad iurisconsultum & patronum, seq; natu maiorem. Rogat enim hominem & pro sua paterna amicitia, ut P. Messenium familiarẽ suum in fidem recipiat, eiusq; rem famamq; tueatur. Commendat etiam Titio L. F. Rufo prætori urbano, cum esset in Cilicia*

procos.

procos, L. Custidium tribulem, muni. ipem & familiarem suũ, et T. Titio T. F. legato annonæ C. Auianũ Flaccũ, et (ne quid prætereã) extat eius epistola, qua Titium nullo prænomine quasi uirum doctũ consolatur super morte liberorũ, oppressa iam Republica. Illud longe á Iureconsulto alienius duco, quod ex eisdem epistolis Zasius de T. Fabio aut Fadio annotat. Titium etiam Festus citat, & Seruius, et Macrobius super ferijs. Horatius Titium lyricum & tragicum poëtam nominat, sodalem suum, & Claudij Tiberij, qui postea imperauit, comitem: eum Porphyrio doctißimum fuisse, et scripsisse lyrica ad Pindari imitationem, testatur.

AVFIDII DVO.

EX eodem Seruij auditorio prodiere Aufidius Tuca, quem alij Suram nuncupant: Aufidius Namusa, Manusaue: magno annorum numero utriq; ab illo Cn. Aufidio cæco, quem suprà retulimus, disiuncti: & á tribus alijs Aufidijs, quos Zasius diligenter collegit. quibus, ut totũ propè gentis nomen peragatur, adiungi potest ille T. Aufidius, qui uixit ad summam senectutem, & bonus uir & innocens, qui orator fuit per Syllæ dictatoris tempora, sed dicebat parum, iuris autem intelligentia callidus. T. Iuuentio & P. Orbio, quos diximus, uolebat esse similis. Idem'ne fuerit T. Aufidius, ambigo. qui cum Asiatici publicani exiguã admodum particulam habuisset, postea totam Asiam proconsulari imperio obtinuit. Nec indignati sunt socij eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantẽ uiderant. Gessit se etiam integerrime ac splendidißime, miroq; id modo demonstrauit, pristinũ quæstum suæ fortunæ, præsens uero dignitatis incrementum, moribus suis aßignari debere. Legimus & Aufidium Bassum, et Gn. Aufidium Orestẽ solum in familia Cos. anno V. C. DCLXXXIII. utriusq; Aufidij in legũ libris non raro laudatur autoritas. Namusa etiam dicitur uolumina & scripta octo æqualium & condiscipulorum suorum collecta, in centum quadraginta libros distribuisse.

Is quoq; à Seruio instructus est, quem ut pro uno accipiam, facit illa numeri ratio, in Caio inita. De quo pauca dicēda sunt, quia nulla uel aliena uel ipsius de eo monumenta loquuntur: ne maioribus quidem eius, quod sciam, claris. Nullum enim legimus Atteium curuli honore functum ante Capitones, quos paulo pòst suo loco referam.

FLAVIVS PRISCVS.

A Seruio fuit Flauius quoq; Priscus, nihilo quàm Atteius notior, aut suo aut maiorum splendore. Aliamq; etiam opinor fuisse gentem Flauiā Reate oriundam, tribus Augustis Vespasiano, Tito, Domitiano postea illustrem. Fuerat quidem longe antea Gn. ille Flauius, Libertini generis, scriba Ap. Cæci: ad quem stemma atq; originem Flauij Prisci referre, putidum existimo. Sed quis antiquitatem omnium aut stirpem teneat? cum noui quotidie homines ac repentini ad summam euadant gloriam. nec uirtus aliam, quàm animi, quem incolit, nobilitatem desideret. Macrobius, ubi de intercalandi ratione agit, Flauium nominat: & alium M. Flauium scribam, qui C. Cæsare tyranno corrigente annum, scriptos dies singulos ita ad eū retulerit, ut ordo eorum inueniri facillime posset, & inuento certus status perseueraret.

CINNA.

Audiuit & Cinna Seruium Sulpitium. Ita enim legi apud Pomponium mihi iam pridem placuit, potiusquàm aut Cecinna (qui studio augurali et disciplina Hetrusca, non ciuili claruit) aut Porcina, ut reponit Zasius. M. enim ille Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, à Prisciano laudatus, apud Ciceronē inter oratores, sine ulla intelligentiæ iuris mentione numeratur: quam tamē solet accurate in illis suis oratoribus ponderare. Adde quòd et Seruiū multis annis præcessit. Deniq; codex Noricus, cuius autoritate crebro utitur Zasius, Cinnam habet, idemq; non raro in libris legum accitur. Familiam gentis Corneliæ fuisse, suprà demonstrauimus. primum, qui Cinna sit dictus: inuenio illum quater Cos. Marianarū partium, patriæ ac libertatis penè oppressorem. Et quod ad iurisperi-

tum magis forte pertineat, per eius tempora Cinnam poëtam autorē Smyrnæ, quē celebrat Catullus, et Virgilius. Lucretium quoq; Cinnam cos. anno V.C.DCCXXXV, *Octauij dominatu: et* C. *Cinnam magnū, septennio post natū in terris Christū. De ipso iurisperito, an ex his unus fuerit, aut nō, certi quidquā tradere non habeo.*

P. CECILIVS.

Liuij locus castigatus.

D*Edit operā Seruio & P. Cæcilius: cuius perfrequens in Digestorū libris citatur autoritas. Cæcilia gens antiquißima primū trib. Cos. habuit T. Cæcilium cognomento Siculū, anno* V.C.CCCX. *in quo tamē arbitror uitiatos Liuij codices, et pro Clœlio Cecilium inditum. Eundem enim Dionysius Clœliū uocat: et aliquāto ante idē cognomē Quinto tribuit, qui apud utrosq; Clœlius dicitur. Sed & Clœliū alium Liuius ipse Siculū uocat. Itaq; rectius Cecilij generis primus nominabitur L. Cecilius Metellus Cos. anno* V.C.CCCCLXIX. *Multi deinde Cecilij Metelli uarijs agnominibus celebres extitere, quos sigillatim enumerare longū est, cū præsertim nesciā, an quidquam ad hunc nostrū pertineant. Nam ne ipse quidem satis constat, quis aut unde fuerit: tantā iacturam librorum fecimus, præter uetustatem, rerum omniū quamuis illustrium obrutricem. Sanè huius ille fuisse iocus creditur, quem Macrobius L. tamen, non P. Cecilio tribuit, tralaticio scilicet illo & frequenti prænominū errore. Nam cum* C. *Cæsar cæteris collusoribus suis pilæ, centena sestertia dari iußisset, soli Cecilio quinquaginta: Quid ego, inquit, una manu ludo, ut nequeam tantundem capere? Fuit & alius Sex. Cæcilius per Traiani & Hadriani principatus, in disciplina iuris ac legibus po. Romani noscendis interpretandisq; scientia, usu atque autoritate illustri. Extat eius & Phauorini Philosophi perelegās apud L. Gelliū disputatio de Legibus duodecim tabularū. Purgat enim Cecilius illa uitia, quæ fuerant à Phauorino illis legibus imputata: leuitatem, duritiem, obscuritatem, remißionem. Eundem cum hoc putat fuisse Riuallius illum Cecilium, quem Gallum cognominat Macrobius, & uirum doctißimum appellat: qui scripserit de Significatione uerborum, ad ius ciuile pertinen-*

tium, libros aliquot: in quo ego tamen nonnihil subdubito.

SVLPITIVS GALBA.

Horum temporum æqualis Sulpitius Galba, poterat, ut à Pomponio, præteriri: nisi eum inter iureconsultos poneret, qui de personis Horatianis scripserunt. idq; & nos suprà promiseramus, sed dignitas hominis mutare sententiã coëgit. Huic abauus fuit Sergius Galba consularis, temporum suorũ eloquentissimus: quem tradunt Hispaniæ proprætorem, XXX. Lusitanorũ millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli causam extitisse. Auus ob consulatus repulsam infensus Iulio Cæsari, cuius legatus in Gallia fuerat, conspirauit in cædem eius cum Bruto et Cassio. propter quod Pedia lege damnatus est. Patrem habuit clariorẽ studio quàm dignitate. Nõ enim egressus præturæ gradum, multiplicem, nec incuriosam historiam edidit. Ipse ad consulatum peruenit, quem tamen in breuiarijs non reperio. neque enim is fuit P. Sulpitius Quirinus, cum M. Valerio Messala II. Cos. quem nihil ad ueterem & patriciam Sulpitiorum familiam pertinuisse, affirmat Cornelius Tacitus, sed ortum municipio Lanuuino. Vnus relinquitur Q. Sulpitius Camerinus, quinquennio ante mortem Octauij principis, collega C. Poppei Sabini: & si Porphirio Seruium Galbam uocat. Nam C. Sulpitium qui cum Mario Cos. fuit decennio ante eum Galbam, qui postea principatũ tenuit, facilius crediderim iurisconsulti filium. Id enim & Tacitus & Suetonius significant. Quanti tamen id refert? Eorum temporũ uix habemus historias: annales certe nullos, nec nisi ministrorum principis res gestas. Satis tum erat Coss. notare annum, imperatore pro libitu rempublicã administrante. Itaq; res hominis priuatas persequar. Corpore fuit perbreui, atque etiam gibbo, & ad omnium cauillos exposito. Octauius agenti apud se causam, atque identidem repetenti, Corrige in me si quid reprehendis: Ego te, inquit, monere possum, corrigere non possum. In eundem M. Lollij uox circunferebatur, Ingeniũ Galbæ male habitat. Ne grammatici quidẽ dicacitatẽ euasit uir inter ciuitatis principes. Siquidẽ cum Orbilius iudicio frequenti testimoniũ diceret, interrogatus à Galba, diuersæ partis

aduocato, cui uel incognitus erat, uel dissimulabatur ad rubore͂ iniiciendum, quid nam ageret, & quo artificio uteretur: respondit, à se gibbos in sole fricari, atq; inde in umbram transferri solere. Quod tamen in libris Suetonij minus accuratè scriptis, ad Varronem & Murenam inconstanter pro Galba relatum legimus. Nam Macrobius planè de Galba tradit, quem alibi idem ipse & Suetonius gibbosum produnt. Modicæ in dicendo facultatis, ut diximus, causas tamen industrie actitauit. Vxores habuit Mumiam Achaiam, neptem Catuli, proneptemq; L. Mummij, qui Corinthum excidit. Ex qua liberos, C. & Sergiũ procreauit, quorũ maior C. attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusq; à Tiberio principe sortiri anno suo proconsulum, uoluntaria morte obijt. Sergius ad imperium usque peruenit, sed non diuturnius septimestri. In secundis nuptijs habuit Liuiam Ocellinam, ditem admodũ & pulchram, à qua tamen nobilitatis causa appetitus ultro existimabatur: et aliquanto enixius, postquam subin de instanti, uitium corporis secretò posita ueste detexit, ne quasi ignarã fallere uideretur. Laborasse hominem adulteriorũ infamia, significat Horatius Flaccus illis uersibus: Quin etiam illud

Suetonij locus uitiosus

Accidit, ut quidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferro, iure omnes Galba negabat.

quasi & ipse sectator matronarum. Habuit & uillam suppositam colli prope Tarracinam, sinistrorsum Fundos petentibus: in qua natus est filius postea imperator, qui & ipse, ut suprà quoq; memorauimus, inter liberales disciplinas attendit & iuri.

ANTISTIVS LABEO PATER ET F.

Vetus Antistiorum familia, Gabijs (nisi me coniectura fallit) oriunda, ibi plurimum polluit. Habuit enim Petronem Antistium, uirum pace belloq; clarissimum, quem Sex. Tarquinius regis Superbi filius, quasi insidiantem sibi, dolo sustulit, in illo simulato exilio, et paternis simultatibus, cum decutiendis papauerum capitibus summis, cædem principũ Gabinæ ciuitatis nuncio filij tacitus indicasset. Ea calamitate multis Gabinorũ in exilium pulsis, multis sponte profectis, capta deinde urbe & pace inita, labente paulatim

timi Gabina re, uerisimile eſt Antiſtios migraſſe Romam. Ibi inter plebeios retenti, primum curulem magiſtratũ in L. Antiſtio tribuno cõſulari tenuere, ante impartitũ plebi Cõſulatũ, anno V.C.CCCLXXVI. *In libera ciuitate nullũ reperio Cos. dominatu Octauij, C. Antiſtiũ ueterẽ, biennio ipſo ante natũ in hominib. Chriſtũ: aliquot deinde Antiſtios ueteres. Labeonis cognomine primus extat is, q prætor Siciliã ſorte habuit, bello Philippi Macedonico. Ex hac ꝓſapia ortus Q. uel (uariãt enim in prænomine, ut ſolẽt, exẽplaria autorũ) M. Antiſtius Labeo. patrẽ habuit Antiſtiũ Labeonẽ, uirum ſapientia illuſtrem, qui inter occiſores Iulij Cæſaris tyranni fuit: perſtititq; conſtantiſſimè in partibus, donec Pharſalica acie, M. Bruto cuius erat legatus, ab Antonio & Octauio iniquitate fortunæ ſuperato, ubi eum mortuum, ſe ab eo cum ſuſpirio commemoratum, hoſtes uictores cognouit, locum in tabernaculo ad corporis ſui modum effodit, ac mandata quæ ad coniugem & liberos ferrentur, ſeruis ex ordine tradidit, epiſtolasq; etiam ad familiares dedit. Vnum deinde ex ſeruis fidiſſimum dextra apprehenſum, et ad ſe uerſum (quod moris fuit in danda libertate Romanis) tradito gladio, oblatoq; ultro iugulo, ut ſe necaret, iuſſit. Sic illi tentorium pro ſepulchro fuit, atq; ita manus hoſtium deuitauit. Hunc quoq; propè eſt ut putem, à Pomponio inter iuris profeſſores & Seruij diſcipulos numerari, cum præſertim uideam ab Appiano huic ſapientiæ laudem attribui: tametſi celebriorem iuris ſcientia filium facere uideatur. Eo parente genitus Labeo, gloriam patris adauxit. Nam & philoſophiæ operam dedit, & ius ciuile à pleriſq; ſuæ ætatis natu grandioribus, ſed à Trebatio præſertim didicit. Plurimam ſtudijs operam dedit, & totum annum ita diuiſerat, ut Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, & ſecederet ſex menſibus, & conſcribendis libris operam daret. Itaq; reliquit quadraginta uolumina, uel (ut alibi caſtigatius) quadringenta. Ex quibus plurima in manibus poſterorum ad multos annos uerſata ſunt, & frequenter accita. Is primus ueluti ſectã quandã iuris cum Atteio Capitone exercuit. Nam illo in ueteribus præceptis permanente, Labeo doctrina atq; ingenio fretus, innouare inſtituit. Quo*

minus fidei in nonnullis habeas scribenti Atteio apud Gellium, hominem hunc libertate quadam nimia ac uecordia esse uexatum, usq; eò, ut Octauio iam principe ac remp. opprimente, nihil tamen faceret, quod non iustū sanctumq; esse, in Rom. antiquitatibus legisset. Quid enim hic reprehendere iure poßit Atteius? Sanè constat Labeonē seu iniuria paternæ cædis, seu ingenua libertate commotum, quasi in libera ciuitate uixisse. Nam & ea Senatus lectione, qua uir

Suetonij locus.

uirū legebat (sic enim emendandi codices Tranquilli) P. et Cn. Lentulis Coss. legit M. Lepidū, hostem olim Octauij, et tūc exulantē: interrogatusq; ab eo, an essent alij digniores, suū cuiq; iudicium esse, respondit. Autores sunt, Octauiū ea de re suppliciū homini interminatum, puerū eum appellasse. cumq; ille dixisset: Quid enim cōmisi? si hominē, quem tu Pontificem esse permittis, in Senatū asciui? placatiorem sese Labeoni exhibuisse. concupiuerat id enim sacerdotiū Octauius Cæsar, neq; tamen eripere uiuo Lepido, iam reliqua omni dignitate ac patria spoliato, unquam sustinuerat. Verbis aliquādo in senatu habitis, ut senatoribus ea dignitas in successionē seruaretur, Labeo, cū neq; assentiri uellet, neq; aduersari apertè posset, rogatus sententiā: Sterto (inquit) neq; tamen mihi me dormitū conferre ante eum licet. Ea contumacia effectū est, ut Octauio parū probaretur. Iccirco in iniuriā eius consulatū Capitoni accelerauit, ut Labeonē eisdē ciuilibus studijs præcellentē, dignatione eius magistratus Capito anteiret. Nā illa ætas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior, Capitonis hominis longe minus sui capitis obsequiū dominātibus magis probabatur. Igitur Labeo intra præturā stetit, atq; ex ea iniuria cōmendationē assecutus est. Tametsi nō desunt qui scribāt, oblatū ei ab Octauio consulatum, ut suffectus fieret, et honorē susciperet, à Labeone recusatum. Exemplum libertatis eius illud quoq; fuerit, quod Atteius uecordiā interpretabatur. Cum à muliere quadā Tribuni plebis, aduersus eū aditi, Gellianū uiatorem ad eum mißissent, ut in iús ueniret, & mulieri responderet: iußit eum qui missus erat, redire, et Tribunis dicere, Ius eis nō esse, neq; se, neq; alium quenquam in causam uocandi,

quod

quod more maiorum Tribuni plebis prehensionem haberent, uocationem non haberent. Posse igitur eos uenire, & prehendi se iubere, sed uocandi absentem ius non habere. Constanter itaque fecit homo liberi animi, qui, quod iuris esse putabat, ab eo decedere noluit. Tametsi Horatius satyrica petulantia hominẽ hunc insanum uocauit, in gratiã nimirum Octauij.

Horatij locus.

Quam notam Flaccus ne à suis quidẽ interpretibus tacitã tulit. Nam quod ille libere in Cæsarem Octauiũ inueheretur, hoc gratificatũ Octauio poëtam omnes annotant. Certe inter omnes cõstat, legum morũq; & antiquitatis, ac iuris ciuilis doctũ apprime Labeonẽ esse habitũ, ita ut eum Petronius arbiter Seruio Sulpitio comparet, illo uersiculo: Atq; esto, quicquid Seruius et Labeo. Inuenio etiã apud autores Vestiliã prætoria familia genitã uulgasse apud ædiles stupri licentiã, more inter ueteres recepto, qui satis pœnarũ aduersum impudicas in ipsa professione flagitij credebant. exactã etiam à Titidio (sic enim scriptũ est, pro Antistio forte) Labeone Vestiliæ marito rationem, cur in uxore delicti manifesta ultionẽ legis omisisset: atq; illo prætendente, sexaginta dies ad consultandũ datos, nondũ præterijsse: satis uisum est, de Vestilia statuere, eaq; in insulã Seriphũ ablegata est. Sed quia multi a'liarum quoq; gentiũ Labeonis tulere cognomẽ, hoc libentius eam contumeliam ab Antistio auerterim.

Senecæ locus.

Est et apud Senecã inter oratores declamatoresq; Labeo, cuius tamen libri accuratius scripti Labienũ seruant, consentiente etiã Suetonio. Cornelium Labeonẽ citat Macrobius. Nos Fabiũ Labeonẽ suprà memorauimus.

Plutarchi locus.

Idem error ex Labieno Labeonẽ facit, apud Plutarchũ in Pompeio, in Græcis quoq; exemplaribus: & si Antistij etiam Pompeiũ affinitate contigerint. Habuit enim primis nuptijs in matrimonio Antistiã, cuius pater uir prætorius ꝓpter eã ꝓpinquitatẽ quasi Syllanus in senatu iugulatus est. Illud certe de hoc Labeone traditur, primũ codicillis esse usum, atq; ita factũ, ut huius simul et præceptoris sui Trebatij, quam diximus, autoritate, postea nemini dubiũ fuerit, quin iure optimo suprema uoluntas codicillis testata relinqueretur. Ex Labeonis operibus, inter quæ numerãtur etiã ad XII. tabulas et XL. posteriorũ libri,

ad

ad edictũ praet. peregrini XXX. *ad urbani complures, existimat Politianus adhibitos à Tribuniano in suos legum centones, decem libros posteriorum, octo probabilium. Quam sententiam Rivallius refellit, ratione non insubtili: neq; in eo tantum, sed & in Q. Mutio ponit, et Aquilio Gallo. Sanè quamuis Labeo principali studio iuris prudentiam exercuerit, & consulentibus publice responderit, attamen caeterarum quoq; bonarum artium expers non fuit. Et in grammaticam sese atq; dialecticam literasq; antiquiores altioresq; dederat, ac Latinarum uocum origines rationesq; & proprietates percallebat: eaq; praecipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur. Apparuit hoc ipsum in libris posteriorum, post eius mortem, ut ferunt, editis. Quorum continui tres* XXXVIII, XXXIX, XL, *pleni erant id genus rerum, ad enarrandam illustrandamq; Latinam linguam admodum conducentium.*

C. ATTEIVS CAPITO.

C. Atteius Capito, auo Centurione Syllano, patre praetorio, haud admodum uetere, nec tamen ignobili familia ortus: Consulatum Romae gessit cum Germanico Caesare, Octauij imperio, anno post Christũ natũ XIII. *Quo quidẽ in magistratu adeò nihil egisse traditur, ut ne iudicauerit quidẽ, collega eius omnia iudicia pagente. Error est in Coss. Caßiodori, Holoandri, Glareani, pro Atteio Fonteiũ scribentiũ: quos diuersos fuisse, & hunc consulem, etiã ex Tacito discas. Is quoq; magnã sibi in iure ciuili autoritatem cõparauerat, et alterũ quasi oraculũ ciuitatis eo tempore habebatur. Doctorẽ habuerat Offiliũ, in cuius etiã praeceptis atq; sententijs perseuerabat, dißidebatq; à Labeone nõ modò disciplinae exercitatione, sed moribus etiã, et toto uitae genere. Ille cũ principibus contumacia certabat, hic obsequiosus dominantibus in adulationẽ usq; erat. Quibus illecebris probatus Octauio, consulatum, exq; eo honore inuidiam adeptus est. ac sequenti anno in curatione aquarũ Moecenati succeßit. Itaq; triennio inde cum Tiberis urbem inundasset, relabentemq; secuta esse aedificiorum & hominum strages, remedio cohercendi fluminis à Tiberio principe praefectus est, colle*

Recentiorũ errores.

ga dato, L. Arruncio. Qui cum in senatu egissent, an ob moderandas Tiberis exundationes auerti flumina & lacus oporteret, per quos augescit, auditis municipiorũ et coloniarum, ad quas ea res pertinere poterat, legationibus, nihil mutari placuit. Auxit adulationis uitium Capitoni, Tiberij principis dißimulata insolentia. qui, cum nimio plus adulatoribus delectaretur, amare tamen in ciuibus ac senatoribus libertatẽ dicendi simulabat. Itaq; eius animi non ignarus Capito, cum L. Ennius eques Romanus maiestatis postulatus, quòd effigiem principis Tiberij promiscuũ ad usum argẽti uertisset, recipi inter reos uetaretur à Cæsare, palàm quasi per libertatem aspernatus est: non enim debere eripi patribus autoritatem statuendi, neq; tantum maleficium impune habendum. sanè lentus in suo dolore esset, reip. iniurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius, ut erant, magis quàm ut dicebantur, perstititq; intercedere. Capitoni insignior infamia fuit, quòd humani diuiniq; iuris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestauisset. Eodemq; ipso anno est mortuus, qui fuit post Christum natum XXIII. Illa Capitonis ridicula fuit adulatio. Nam, cum Tiberius Edicto quodã uerbũ parũ apud Latinos uetus inscripsisset, eiusq; recordatio noctu principi subisset, conuocatis postridie, quotquot Romæ grammaticam aut uerborum interpretandorum scientiam profiterentur: Pomponio grammatico uerbũ reprehendente, Capito affirmauit, & esse illud antiquũ, & si non esset, futurũ certe iam inde, et ciuitatem in gratiã Cæsaris id uerbum inter antiqua relaturum. Quod adeò tacitum non tulit, ut Grammaticus ad Tiberiũ cõuersus, mentitur Capito, responderit: tu enim Cæsar ciuitatem Romæ dare potes hominibus, uerba et linguæ Latinæ usum nõ potes. Eam responsionẽ Dion Procillio cuidã senatori ascribit: sed pluris est apud me Suetonij diligentißimi scriptoris autoritas. *Dionis incuria.* Idem Capito Atteium philologum grammaticũ dicebat, inter grammaticos rhetorem, inter rhetores fuisse grammaticum: id quod hodie multis euenit. Reliquit Capito libros non paucos quorũ testimonio sæpe Gellius, interdũ & Macrobius & Frontinus utuntur. Multa de Atteio Capitone Tribuno ple. sunt, apud

Dionem libro XXXIX. Sed ea ad patrem potius iurisconsulti pertinere, temporum ratio indicat: quemadmodum & quæ in senatus consulto à Cælio ad Ciceronẽ in epistolis misso: forteq; etiam quæ de Atteio quodam copiarum ductore per Octauij, et L. Antonij bellum scribit Appianus libro V. Bellorum ciuilium. Sed & illud quod scribit Paterculus, Capitonem senatorij ordinis uirum, patruum suum, Agrippæ, C. Cassium de cæde Cæsaris lege Pedia accusanti subscripsisse, ad patrem melius quàm ad filium referas: quasi iam tũ ab eo hæreditarias acceperit partes Cæsarianas filius. licet hoc malit Zasius filio ascribere. Fuit et quæstor Iudææ Capito quidam, C. Caligulæ imperio, ut Philo Iudæus scribit, quem non temere filium huius iurisconsulti existimaueris. Quendam etiam Capitonem inter primarios declamatores memorat Seneca: Plinius iunior Titiniũ Capitonem scriptorem uirorum illustrium. Sisinnium quoq; & Asinium Capitones inuenio. Sed ut ad nostrum redeamus, libros hos conscripsit: Commentaria ad XII. tabulas: Collectaneorũ libros CCLX. de Pontificio iure, cuius consultissimus fuit, septem: de Senatoris officio unum: de Iure sacrificiorum decem: Commentarium etiam de Iudicijs publicis. Ex ijs operibus permulta citantur à Gellio, Festo, Macrobio, Nonio, Frontino.

Zasij error

M. COCCEIVS NERVA FATER ET FILIVS.

M. Cocceius Nerua iurisconsultus, Cocceium Neruam patrem habuit, qui cum L. Gellio triumuirali dominatu consul fuit, & conciliandæ inter Antonium & Octauiũ amicitiæ sese cum Mœcenate interposuit. Narniense familiæ genus. Nerua ipse iurisconsultus Labeonis sectam excepit, & dissensiones disciplinarũ cum Capitonis successoribus adauxit. Is omnis diuini atq; humani iuris sciens, eaq; cognitione illustris, familiarissimus atq; assiduus Tiberio Cæsari fuit. In curatione aquarum (quod munus principibus in ciuitate uiris dari cõsueuerat) Satrio Rufo successit, Seruio Cornelio Cethego, L. Visellio Varrone Coss. anno post natum Christũ quinto ac uigesimo. Bieñio pòst solus ex senatorio ordine Cæsa-

rem in Campaniam atq; insulam Capreas secedentem secutus est, ibiq; cum eo annos fermè octo permansit. Traditur etiam antè consulatu functus. quod extraordinario ac suffectitio munere ei contigisse existimo: atq; ideo nullum annum in commentarijs conficit. nec sciri potest, quibus Coss. gesserit consulatum. Anno postquã secesserat, fermè octauo, cũ Tiberius omnia cædibus ac libidine repleuisset, uir priscæ probitatis Nerua, eius cõsuetudinis impatiens, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium cœpit. Quod ut Tiberio cognitum est, assidere Neruæ, causas requirere, addere preces: fateri postremo, graue conscientiæ, graue famæ suæ, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus uitam fugeret. Auersatus sermonem Nerua, cum diu nullis precibus elici ab eo responsum potuisset, abstinentiam cibi continuauit, atq; ita uitam finiuit. Causæ mortis præcipue ferebantur à gnaris cogitationum eius: quòd quanto propius mala Reipublicæ intueretur, præ ira ac metu, dum integer, dum intentatus esset, honestum finem uoluerit. Alij præter alias hanc addunt: quòd leges à Cæsare positas de condemnationibus reperiret, unde infidelitatis plurimum ac tumultus prouenire oportêret. Cæterum adeò commotus est tacito mortis eius conuitio Tiberius, ut confestim ad mitigandas usuras uigintiquinque sestertiorum millia in publicũ contulerit, unde gratuitò indigentibus in trienniũ mutuò daretur, & celeberrimos ac notissimos quosq; accusatores iusserit uno die interfici. Reliquit filium Nerua eadem iuris cognitione celebrem, qui libros de Vsucapionibus reliquit. Eo natus est Nerua ille, qui Romanum imperium optime omnium gessit, ut non modo Nerua hic probitate conspicuus ipse fuerit, sed filio, nepote, ac deinceps propinquis: præsertim uero arrogato Traiano opt. principe iurisq; diuini atque humani consultissimo, deincepsq; adoptione optimorum principum ad Commodum usque censendus sit. Neruæ filius (si Vlpiano credimus) annum agens ætatis septimum ac decimum, aut paulo plus de iure publicè respondit. Fuerunt & Syllij & Licinij Neruæ, sed aliæ gentes, nec nisi cognomine similes.

MAsurius Sabinus è plebe homo, Atteio Capitoni in disciplina iuris successit, et Cocceium Neruam æmulum habuit. Receptus est in equestrem ordinem iam grandis natu, & annorum ferè quinquaginta. Ei neq; amplæ facultates fuerunt, sed plurimum à suis auditoribus sustentatus est: obtinuitq; à Tiberio Cæsare, ut sibi de iure respondere liceret, atque ita publice primus rescripsit. Nam, ut obiter sciamus, ante tempora Augusti, publice respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorũ habebant, consulentibus respondebant: neque responsa utiq; signata dabant, sed plerumq; iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur illos ij, à quibus consulti fuerant. Primus Octauius Augustus, ut maior iuris autoritas haberetur, constituit ut ex autoritate eius responderent: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Vnde paulo pòst effectum est, ut pestis humani generis Caligula, inter cætera liuoris ac malignitatis in omnes claros uiros scelera, de iuris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, sæpe iactauerit, se, me hercle, effecturum, ne quid respondere possent, præter æquum. Postea deinde optimus princeps Adrianus, quasi pristinum morem & libertatem relaturus, cum ab eo uiri periti peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed præstari atq; effici solere. Et ideo si quis fiduciam sui haberet, placiturum se populo ad respondendum se præpararet. Postremò res eò deuenit, ut retento Augusti more, nemo iurisconsultus appellaretur, aut publice ius interpretaretur, deq; eo responderet, nisi eam autoritatem à principe impetrasset. Quorum omnium sententiæ & opiniones in tantum honoris uenere, ut ex principum constitutionibus recedere ab eorum responso iudicibus non liceret: et ex horum tantummodo scriptis Iustinianus confici Pandectas suas, cæteris reiectis, uoluerit. Extat de Masurio illud in Satyra Persij carmen in persona Libertini:

Vindicta postquam meus à prætore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcunq; uoluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica uetauit.

Et

Et (ut quidã putant) epistola Plinij Cæcilij lib. IIII, *quæ eum ut religiosum defensorẽ supremarum uoluntatum laudat. Sed ego ad illa tempora non puto peruenisse Masurium. Opera hæc ab eo feruntur relicta: Memorabilium libri duodecim: Iuris ciuilis tres Commentarij de Indigenis: liber de Furtis. unde multa Gellius Macrobiusq; nominatim sumpsere.*

CASSIVS LONGINVS.

CAssij Patricij iam inde ab initio Romanæ libertatis magni atq; ampli extitere. Sp. enim Cassius, cognomento Becillinus (Vscellinum, Vicellinum autores, aut librarij uariant) octauo post pulsos reges anno Cos. duos deinde alios, & magisterium equitum primus gessit. Postremo cum iactanda lege Agraria, quæ numquam deinde sine maximis motibus rerum agitata est, ea largitione captare animos plebis, & sibi uiam ad tyrannidem facere uideretur, ubi primum magistratu abijt, damnatus necatusq; est. Sunt qui patrem autorem eius supplicij ferant: Eum, cognita domi causa, uerberasse ac necasse, peculiumq; filij Cereri consecrauisse: signum inde factum esse & inscriptum, ex Cassia familia datum. Sed quæ familia primum molitorem tyrannidis dederat, eadem post multos insignes uiros, acerrimum uindicem Libertatis protulit C. *Cassium, Iulij Cæsaris interfectorem. Longini cognomen habuisse primus legitur* Q. *Cassius Cos. anno* V.C. DXC. *multiq; deinde amplissimis functi magistratibus. Insignis est in genere & L. ille Cassius prætor, cuius tribunal propter nimiam seueritatem, scopulus reorum dicebatur. Ex hac gente Cassius Longinus natus ex filia Tuberonis, nepte Seruij Sulpitij, prope hæreditariam iuris ciuilis scientiam exercuit, cum proauum Sulpitium, Tuberonẽ auum maternos habuisset. Is Masurio Sabino successit, & Cassianorum nomen suis reliquit, princepsq; & parens eius scholæ est habitus. Hunc alij* C. *alij L. prænominant. Consul fuit cum Quartino, quem alij M. Vinitium uocant, anno imperij Tiberij Cæsaris decimo septimo. In quo quid gesserit, uir alioqui ingentis spiritus, quoniam eius anni historia apud Tacitum desideratur, sciri non satis potest. Sequenti anno*

cum atroces in Senatu ſententiæ in Iuliam Tiberij quondam uxorem dicerentur, & ut bona Seiani, qui ex maxima principis gratia in ſæuiſſimam ignominiam ac necem deciderat, ærario ablata in fiſcum referrentur, in ijs et Caſſius idem aſſeueratione multa cenſuit. Extremo deinde Caligulæ principatu, cum Aſiæ Proconſul eſſet: et Fortunæ Antiatinæ Principi reſpondiſſent, ut à Caſſio caueret, immemor Princeps Caſſium Chereæ quoque, à quo poſtea occiſus eſt, eſſe nomen, interficiendum Caſſium Longinum delegauerat. Sed fatalis neceſſitas ingruens Caligulæ Longinum ſeruauit. Rerum inde potiente Claudio, Caſſius Syriæ præfecturam accepit Marſo ſuccedens. Qua in prouincia cum eſſet, ſacerdotalem ſtolā Pontificis Iudæorum, qua ille ſolennibus modò ſacrificijs utebatur, magno ſumptu elaboratam, in cuſtodiam Romanorum redegit. Ea enim cum antea uſq; ad Tiberij tempora in turri, quam Barin uocabant, ſeruaretur: ita ut pridie ſacrificiorum, adhibito Pontificis Iudæi ſigillo & ducis præſidij Romani promeretur, & peractis ſacris, eodem inſpiciente, conderetur: Tiberius in gratiam Agrippæ Regis, ſtolam poteſtati omnino Iudæorum permiſerat. Hanc igitur Caſſius cum Cuſpio Fado procuratore Iudææ, in Antonianam (ſic enim turrim, quæ prius Baris dicebatur, in Antonij gratiam Herodes Rex uocari iuſſerat) turrim deponi iuſſit: Romanos enim ut prius, principes eſſe oportere, neq; de ueteri iure quicquam detrahi. Id enim petiturus de Iudæis Cuſpius, ueritus ne non obtemperaret gens religionis & ſacrorū tenaciſſima, cui tum ipſe præerat, Caſſiū cū magnis copijs acciuerat. Rogāti igitur populo, ut præſides ſpaciū indulgerēt legatos ad Claudiū Cæſarē ſuper ea re mittendi, conceſſum eſt, acceptis filijs obſidibus, tandemq; res à Cæſare impetrata. Et cū legati Parthorū Meherdatē eius gentis, qui tum Romæ erat, in Regem aduerſus tyrannidem Gotarzis expetiſſent, Princeps miſſum Meherdatem cum literis, Caſſio, ut ad ripam Eufratis amnis deducat, mandat. Caſſius ea tempeſtate cæteros præeminebat peritia legum. Militares enim artes per otium ignotæ, induſtriosq; ac ignauos pax in æquo tenet. Attamen quantum ſine bello dabatur, reuocare

care præcisum morem, exercere legiones, cura, prouisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis & familia Cassia, per illas quoq; gentes, ob uirtutem egregiam C. *Cassij eius, qui* C. *Iulium Cæsarem tyrannum interemerat: &* Pompei *legatus eam aliquando prouinciam obtinens bella cum* Parthis *gesserat, celebrata ratus. Igitur excitis ijs, quorum de sententia petitus* Rex *fuerat, positisq; castris apud* Zeuma, *unde maxime peruius amnis, postquàm illustres* Parthi, Rexq; *Arabum* Abbarus *aduenerat, monet* Meherdatem Cassius Barbarorum *impetus primò acres, cunctatione inde languescere, aut in perfidiam mutari. Itaq; urgeret cœpta. Quod spretum fraude* Abbari, Meherdatem *in perniciem ac manus inimicorum deduxit. Post nouennium,* Nerone *iam dominatum exercente, nunciata de* Parthis *uictoria, cum finis non fieret agendis supplicationibus, referendisq; inter festos diebus, quibus parta uictoria, & ad* Senatũ *nunciata relataq; esset: aliaq; in eandẽ formam nimis modum egressa decernerentur,* Cassius *cohiberi non potuit, quin de cæteris honoribus assensus, diceret in* Senatu, *si pro benignitate* Fortunæ *dijs gratiæ agerentur, ne totum quidem annũ supplicationibus sufficere, ideoq; oportere diuidi sacros & negociosos dies, quibus diuina colerentur, neq; humana impedirentur. Eodem anno tumultuantibus seditione plebis in senatorium ordinem* Puteolanis, Cassius *adhibendo remedio delectus est: cuius cum seueritatem non tolerarent, precante eo, ad alios ea cura translata est. Triennio inde, cũ ageretur in* Senatu *de nece* Pedanij Secundi *præfecti urbis, quem seruus eius, seu propter negatam libertatẽ, cui precium pepigerat, siue amori exoleti infensus, et dominum æmulũ non tolerans, interfecerat, & ex ueteri more familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret: ac concursu plebis, quæ tot innoxios protegebat, ad seditionem usq; uentum esset, senatoribusq; studijs in contrarias partes inclinantibus, inter eos, qui nihil mutandum censebant,* Cassius *sententiæ loco in hunc modũ disseruit: Sæpenumero* P. C. *in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum noua* Senatus *decreta postularentur:*

neq;

neq; ſum aduerſatus. non quia dubitarem ſuper omnibus negotijs melius atq; rectius olim prouiſum, & quæ conuerterentur in deterius mutari, ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere uiderer: ſimul quicquid hoc in nobis autoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, ut maneret integrum, ſi quando Reſpublica conſilijs eguiſſet: quod hodie euenit, conſulari uiro domi ſuæ interfecto per inſidias ſeruiles, quas nemo prohibuit aut prodidit. quamuis nondum concuſſo ſenatus conſulto, quod ſupplicium toti familiæ minitabatur, decernite hercule impunitatē. At quem dignitas ſua defendet, cum præfectura urbis non profuerit? quem numerus ſeruorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quæ ne in me tu quidem pericula noſtra auertit? An, ut quidam fingere non erubeſcunt, iniurias ſuas ultus eſt interfector? quia de paterna pecunia tranſegerat, aut auitum mancipium detrahebatur, pronunciemus ultro dominum iure cæſum uideri. Libet argumenta conquirere in eo, quod ſapientioribus deliberatum eſt. ſed & ſi nunc primùm ſtatuendum haberemus, creditis'ne ſeruum interficiendi domini animū ita ſumpſiſſe, ut non uox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? ſanè conſiliū occuluit, telum inter ignaros parauit. Nū excubias tranſiret? cubiculi fores recluderet? lumen inferret? cædē patraret, omnibus neſcijs? Multa ſceleris indicia præueniunt. ſerui ſi prodant, poſſumus ſinguli inter plures, tuti inter anxios: poſtremo, ſi pereundum ſit, non inulti inter nocentes agere. Suſpecta maioribus noſtris fuerunt ingenia ſeruorum, etiam cum in agris aut domibus iiſdem naſcerentur, charitatemq; dominorum ſtatim acciperent. poſtquam uero nationes in familijs habemus, quibus diuerſi ritus, externa ſacra, aut nulla ſunt, colluuiem iſtam non niſi metu cohercueris. At quidam inſontes peribunt. num & ex fuſo exercitu, cum decimus quiſq; fuſte feritur, etiam ſtrenui non ſortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos, utilitate publica rependitur. Sententiæ Caſſij, ut nemo unus contraire auſus eſt, ita diſſonæ uoces reſpondebant, numerum, aut ætatem

tem, aut sexum, ac plurimorum dubiam innocentiam miserantium. Præualuit tamen pars, quæ supplicium decernebat. Quadriennio pòst, cum Poppeæ Neronis coniugi mortuæ funus fieret, Cassio Nero officia exequiarum prohibuit. quod primum illi indiciū mali fuit: neq; in longum dilatum est. Igitur missa ad Senatum oratione, remouendum Cassium à Republica disseruit: obiectauitq;, quòd in uetere gentili stemmate, inter imagines maiorum, etiam C. Cassij tyrannoctoni effigiem restituisset, ita inscriptam: Duci partiū. semina enim belli ciuilis & defectionem à domo Cæsarum quæsitam: ac ut memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, assumpsisse L. Syllanum, iuuenem genere nobilem, animo promptum, quem nouis rebus ostentaret. Is disciplina Cassij, apud quē educatus fuerat, ad magnam claritudinem euaserat. Inducit posthac sub nomine indicum, qui in Lepidam Cassij uxorem, amitam Syllani, incestum cum fratris filio, & diros sacrorum ritus confingerent. Tunc Senatus consulto exilia Cassio & Syllano decernuntur, de Lepida Cæsar statueret. Deportatus est in insulam Sardiniam Cassius, & Senatus iussus expectabatur. Syllanus quoque relegatus paulopòst iussu Neronis submisso percussore occiditur. Alij deinde multi, ut conscij, uexati sunt. Adeò calamitas illa dira ciuitati Romanæ incubuerat, ut senem iuris peritissimum luminibus orbatū (nam id quoq; de Cassio traditur) nullo crimine, nisi quod opibus uetustis et grauitate morum præcelleret, affligere non dubitauerit. Et sunt, (si dijs placet) qui principis unius libidinem publicæ libertati, ubi et sentire quæ uelis, & quæ sentias dicere liceat, anteponendam putent. Cæterum ad Cassium redeamus, qui beneficio longissimæ ætatis, Republica ad meliorem Principem delata, à Vespasiano de relegatione reuocatus, uitam in patria finiuit. Domum habuit quæ postea testamento Numidiæ Quadratillæ ad Quadratum oratorem deuenit. Fuit et alius Longinus ex equestri ordine, qui postea ad præturā usq; peruenit. Ad quem cur potius exilium retulerit Aimarus Allobrox, quam ad consularem illum iurisconsultum, equidem causam non inuenio: cum ex Tacito apertissimè constet de iurisperito dictum. Alium C. Riualli error.

Caßium quidam memorant per Hadriani tempora, qui decem Iuris ciuilis libros ſcripſerit. ad quem mulierem quandam cum quinq; liberis, uno partu editis, adductam ait. Caßium & Macrobius citat. Inuenio etiam L. Caßium Longinum iiſdem temporibus plebeio genere, uerum antiquo honoratoq;, qui ſeuera patris diſciplina educatus, facilitate ſæpius quàm induſtria commendatus fuerit: Cui Druſillam, Germanico Tiberij ex Druſo fratre nepote & adoptiuo filio ortam, Tiberius in matrimonium dederit, ſuperq; ea re cum leui honore iuuenis ad ſenatum ſcripſerit, ac triennio pòſt, cum urbs graui incendio afflicta eſſet, æſtimando cuiuſq; detrimento cum tribus ſororijs & P. Petronio præfecerit. Eam Druſillam adeo amauit C. Caligula Imperator, quamuis ſororem, ut et antequam Longino collocaretur, uirginem prætextatus adhuc uitiauerit, & in concubitu etiam eius quondam depræhenſus ſit ab auia Antonia, apud quam ſimul educabantur. mox Longino nuptam abduxit, & in modum iuſtæ uxoris propalàm habuit. Hæredem quoq; bonorum atq; imperij æger inſtituit. Eadem defuncta, iuſtitium indixit, in quo riſiſſe, lauaſſe, cœnaſſe cum parentibus aut coniuge liberis'ue capitale fuit. Ac mœroris impatiens, cũ repente noctu profugiſſet ab urbe, tranſcurriſſetq; Campaniam, Syracuſas petijt, rurſusq; inde propere redijt, barba capilloq; promiſſo. Nec unquam poſtea, quantiſcunq; de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites niſi per nomen Druſillæ deierauit. Hæc addidimus, quod aut filius fuiſſe, aut omnino aliquid attinuiſſe Longino is iuuenis exiſtimari poterat. Nã ut hic ille ſit, qui ad præturam uſq; peruenit, impedit, quod conſularem eum appellat Suetonius. Appoſuimus etiam epigramma quoddã uetus libertorum Longini, Romæ repertum.

D. M.

C. Caßius Verecundus fecit ſibi et Caßiæ Damalidi libertæ cariſſimæ & bene mer. idem coniugi, & C. Caßio Cotino, & Caſſiæ Moſchidi parentibus, ſuis iſdem patron. libertis C. Caßij Longini, & libertis ſuis, libertabusq;, poſterisq; eorum.

AMinij Rebij nihil præter mortem & epitaphiũ inuenimus. Sed quia eum Tacitus peritia legum inter primores numerat, uisum est inserere. De maioribus nihil comperi. ipse pecuniæ ditissimus, famæ non admodum bonæ fuit, ob libidines muliebriter infamis. Mortem tamẽ opinione hominum constantius tulit, atq; adeò sumpsit. Cruciatus enim ægræ senectæ, misso per uenas sanguine, effugit, obijt imperij Neronis anno tertio.

PROCVLVS.

SCholam & disciplinam Neruæ patris Proculus excepit. Magna is autoritate fuit ac plurimum potuit, non in ciuili modò scientia: in qua tanti fuit, ut qui prius à Labeone ac Nerua nomen accipiebant ab eo Proculiani cœpti sint dici: sed (opinor) etiam in Republica. Hunc non eum esse arbitror (multi enim & priscis temporibus, & illo æuo Proculi extitere) qui C. Acerronius Proculus uocatus, & cum C. Pontio Nigrino Cos. fuerit, extremo Tiberij principis anno. Caligula dominationem ingressus, cum decretum intercessisset, ut Coss. magistratu se abdicarent, quo principi daretur, id quidem abnuit Imperator, sed unà tamen ipse ac Claudius patruus cum illis consulatũ gessere. Sed ne eum quidẽ puto, quẽ Cocceium Proculum uocat Tacitus, & speculatorem fuisse indicat: nec quem Plinius Cæcilius ut poëtam bonum memorat, sed Licinium illum Proculum, qui Othonianas partes secutus, cæso Galba, præfectus prætorio creatus est. Fuerat is intima familiaritate Othoni coniunctus, ac suspectus consilia eius fouisse. Pòst, Othone iam rerum potito, cum seditio ac tumultus militum ipsorum in urbe exortus esset, Proculus milites allocutus, promißis quinis millibus nummûm, turbas sedauit. Cumq; Otho obuiam ire Vitellio contenderet, plurimum spei & fiduciæ in Proculo collocauit. itaque cum peditum equitumq; copijs præfecit: is enim urbanæ militiæ impiger, bellorum insolens, cæteros criminando prauus & callidus bonos et modestos anteibat. Cum prope hostes uentum esset, agitante consilia Othone, an bellum trahi oporteret, cæteris ducibus trahendum putantibus, Proculus inclinatum in diuersam sententiam principem

adulatione atq; imperita properatione iuuit: Fortunam enim, quòd & copiæ alacres, & uictoria recens esset, & princeps hostium Vitellius *aberat, Deos quoq; & numen* Othonis *adesse consilijs, unà cum* Ticiano *fratre principis testabatur. Itaq; postquàm pugnari placuit, idem autor principi, ne prælio interesset, ut* Brixellum *se conferret, impulit: ibiq; dubijs præliorum exemptus, summæ rerum & imperio se ipse reseruaret. Quæ res in primis partes eius afflixit.* Profecto *itaq;* Brixellum Othone, *honor imperij penes* Titianum *fratrem, ius atq; potestas ad* Proculum *resedit. Qui positis ridiculè castris inter media flumina atq; aquas, milites siti conficiebantur. Et cum postridie in hostem procedere uellet, itinere* XX. *millium amplius, neque* Paulinus *collega assentiretur, superuenere à* Bebriaco Othonis *literæ, quibus rem quamprimũ decernere iubebantur.* Vbi *igitur uentum in pugnam est, confuso agmine fusi* Othoniani, *ita ut apparuerit non ignauia militum, sed ducum temeritate peccatum. In fuga* Proculus *castra uitauit. Aliquanto pòst ueniente in* Italiam Vitellio *(nam duces absente eo ad* Padum Othonianos *deuicerant) cũ cæteris ducibus occurrit &* Proculus, *quem cum* Suetonio Paulino *primum tristi mora squallidum tenuit, donec auditi, cum necessarijs magis defensionibus quàm honestis uterentur, proditionẽ ultro sibi imputabant: spacium longi ante prælium itineris, fatigationẽ* Othonianorum, *permixtum uehiculis agmen, ac pleraq; fortuita fraudi suæ assignantes. Ita* Vitellius *credidit de perfidia, & fidem absoluit. Hæc omnia ideo de iurisconsulto dici interpretati sumus, quod plurimum potuisse eum* Pomponius *tradit, id quod de nullo alio* Proculo *his temporibus reperiebamus. Nam neque prætorij præfectura à iurisconsulto abhorrebat, quam postea &* Papinianus, *tantus in ciuili facultate uir, alijq; gesserint. Neque ultrà quicquam nobis de* Proculo *compertum est, nisi quòd eum* Vlpianus *quasi non leuem iuris autorem nominat ex rescripto Diuorum fratrum.* Celsus *uero etiam filium* Proculum *autorem iuris habuisse uidetur.*

CAELIVS

SVcceßit Longino in disciplina iuris Cælius Sabinus. Is ab Othone bimestrem Quintili scilicet & Sextili mense Consulatum cum Flauio Sabino antè acceperat, quorum honori ne Vitellius quidem uictor intercesßit. Vespasiani tamen postea temporibus plurimum potuit, siue quod cum fratre eius Flauio Sabino amicitia & consulatu coniunctus fuerat, siue quia initiũ Vespasiano imperij primo eius Consulatus die, Cal. ipsis Sext. feliciter occœperat: Alexandro Tiberio in Vespasiani sacramentum Alexandriæ adigente. Isq; primus Principatus dies in posterum celebratus est. Librum de Edicto edilium curulium scripsisse dicitur: in quo multa scripsit de Venalium seruorum legibus. Id enim erat præcipuum argumentum edilitij edicti.

SEX. PEDIVS.

QVo tempore uixerit Pedius, in incerto est. Mihi non admodum abesse à uero uidetur, hominem circa hæc tempora ponere, illumq; ipsum esse, quem significat Persius in Satyra etiam Oratorem eloquentißimum extitisse, illis uersibus:

Fur es, ait Pedio, Pedius quid? carmina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras, Laudatur.

Nisi tamen malimus in Persio eum accipere, de quo & Horatius (solet enim Persius uti nominibus & personis Horatianis.)

Cum Pedius causas exudet publicus.

Traditur & de Pedio Blæso temporibus Neronis, qui sit repetundarũ & furti damnatus. Sed quicũq; fuerit is iureconsultus, et quacũq; ætate, libros reliquit de Stipulationibus: item ad Edictũ quinq; ac uiginti, unde multa citantur à plerisq; autoribus Iustiniani Digestorũ. Quod indicio est hominẽ et satis antiquũ esse, et magnæ autoritatis.

PEGASVS.

PRoculus succeßionem disciplinæ reliquit Pegaso. Is temporibus Vespasiani Cos. fuit cum Pusione. Quo magistratu in uerba eius factum est S. C. ut ei, qui rogatus esset hæreditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, sicut per legem Falcidiam ex legatis retinere iampridem licuerat. Ex singulis quoq;

rebus per fidei commissum relictis, eadem permissa retentio est. Illud quoque eodem S. C. cauebatur, ut, si recusasset scriptus hæres adire hæreditatem quasi suspectam atque damnosam, desiderante fidei commissario, iussu prætoris adiret et restitueret hæreditatem. Cuius decreti multa abrogauit Iustinianus, multa in Trebellianum S. C. transtulit, propter captiosas, nescio quas stipulationes. Certe Pegasianum ab eo nomē habuit. Eodem imperante præfectus urbis fuit, atque etiam Domitiano, quod significare uidetur Iuuenalis, honorificentissimo hominis testimonio. ait enim:

Rapta properabat ab olla
Pegasus, attonitæ positus modò uillicus urbi.
An ne aliud tum præfecti? quorum optimus atq;
Interpres legum sanctissimus, omnia, quanquam
Temporibus diris, tractanda putabat inermi
Iusticia. Vexabat enim tunc Romam Domitianus.

PRISCVS IABOLENVS ET PLAVTIVS.

SVccessit Cælio Sabino Priscus Iabolenus. Is officijs interfuit, adhibitus consilijs est, ac de iure publicè respondit. Tametsi sunt, qui eum inter male sanos numerent. Ad Antonni Pij imperium usq; peruenit, eoq; est usus princeps iurisperito, cum multa iura sanciret. Argumentum dementiæ eius illud fertur: quod cum Passenus Paulus splendidus eques Romanus & in primis eruditus, scriptor elegorum, municeps & gentilis Propertij, recitaret, & ita carmē cœpisset dicere: Prisce iubes? Ad hoc Iabolenus Priscus: (aderat enim, ut Paulo amicissimus) Ego uero non iubeo. Hic tibi risus, ioci, eo maiores, quo uir grauioris pfessionis desipuerat, et quod Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulerat. E Cassio quindecim libros, Epistolarū quatuordecim, quinq; ad Plautium reliquit. Fuit enim et Plautius inter iuris prudentes celeberrimus. De quo et si nihil comperti in uita habeo, sæpe tamē in libris Legū accitur multosq; et præcipuos iuris prudētes uel ad eū, uel in opera eius scripsisse constat. Quanquam de eo quoq; cum multis tacuit Pomponius.

IVVENTIVS

PATER AC FILIVS.

Celsus pater Pegaso successit. De Mario quodam Celso multa apud Tacitum in rebus Othonis inuenio, quorum nihil pertinere ad hunc nostrum arbitror. Is Celsus & apud Traianum magno in honore, et Hadriano principi inter iudicandum præcipue in consilio fuit, cum ille non amicos suos aut comites solum, sed iuris consultos etiam, quos tamen senatus omnis probasset, adhiberet. Filius quoq;, quem quidam Iulium uocant, eodem studio clarus, duos consulatus per Hadriani, ut ferunt, principatum gessit: unum cum Neratio Marcello, posteriorem cum Iulio Balbo, quem apud Cassiodorum non comperio. sed & pro Marcello, Marcellinum ponit. Plinius tamen Cæcilius Marcellũ seruat. Est sanè apud eundem Cassiodorum Cos. Celsus cum Crispino per Traiani principatum, anno XIX. ante consulatum illum cum Neratio, ut possit is honos ad patrẽ etiam pertinere. Filius libros reliquit Digestorũ XXXIX. Institutionũ XX. Epistolarum XIII. Hadriano in consilio fuit. De Iuuentiorum gente, satis suprà demonstrauimus. Extat hodie apud Alberinos Romæ marmor cum ijs inscriptionibus libelli precum.

VELIVS FIDVS IVBENTIO CELSO COLLEGAE SVO SALVTEM.

Desideri frater Arri Alphij Arriæ Fadillæ domini N. Imp. Antonini Aug. matris liberti libellũ tibi misi cogniti mihi ex longo tempore primæ iubentutis etiam miratus cum ab ædibus essem quot eo lo. se contulisset, à quo didici causa se requtionis sed & religionis manope à domino. N. Imp. impetrasse ita ne qua mora uideatur ei per nos fieri libellum subscriptum per eudem publicum sine mora mihi remittas. opto te saluon & felicem es.

Requietionis P. R.

EXEPLV LIBELLI DATI

Cum ante hos dies coniugem & filium amiserim & pressus necessitate corpora eorum fictili sarcofago commendauerim doni quies locus quem emeram ædificaretur uia Flaminia inter miliar. II. & III. euntibus ab urbe parte læua custodia monumenti Fla. Thumeles Amesolæ M. Sini Orgili rogo domine permittas mihi in eodem

Donec quietis P. R.

loco

loco in marmoreo sarcofago, quem mihi modo comparaui ea corpora colligere, ut cuando ne ego esse desier pariter cum eis ponar, decretum fieri placet. Iubentius Celsus *promagister subscripsi* III. Non. Noemb. Antio Polione & Opimiano koss. ordinalis Seuero & Sabiniano Coss.

Decretum P. R.

NERATIVS PRISCVS.

IS quoque scholam Celsi patris excepit. Traianus princeps optimus tantopere eum probauit, ut frequens opinio fuerit, eum in animo habuisse, Neratium, non Hadrianum, successorem relinquere, multis id ei amicis assentientibus. usque adeò, ut Prisco aliquando dixerit, commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale contigerit. Nam & Traianus ipse (ut quidam tradunt) iuris diuini atq; humani consultissimus fuit. quod magni huic studio honoris loco habendum est. Sed tamen Hadriano, seu fauore Plotinæ, seu propter suspicionem affectatæ à Palma et Celso inimicis eius contra Traianum tyrannidis, in adoptione atque imperij successionem promoto, Neratius inter præcipuos iudiciario consilio affuit. Consulatum etiam (incertum quo tempore) administrauit. Quidam addunt ei collegam Antonium aut Antoninum. Eius hæc ferebantur uolumina: Membranarū libri septem, Quæstionum tres, Responsorū quinq;, è Plautio decem, quatuor Epistolarum, Regularum quindecim, unus de Nuptijs. unde Gellius morem sponsaliorum Latinorum annotat. Neratios præter hunc aliquot legimus. Neratium Marcellum, ut dixi, nominat Cæcilius. Est uero apud Gellium ex libris Labeonis nequam ille Neratius, qui pro oblectamento habebat, os hominis liberi sua manu uerberare, sequente seruo cum loculis plenis aßium. & quemcunque dominus depalmauerat, numerari statim ex XII. tabulis asses XXV iubebat. Propterea prætores edixerunt, se iniurijs æstimandis recuperatores daturos. atque ita paulatim lex abolita desuetudine est.

DOMITIVS LABEO.

GEntis Domitiæ originem ac progressus, ad imperatorios titulos Neronis à Suetonio relatos, non tam inertia hoc loco

prætermittimus,

prætermittimus, quàm instituto & consilio, sua apud quemq; autorem relinquendi, nihilq;, tantum ut transcribam, transcribendi. & quod is Labeo familiæ ne ac stirpis Domitiæ fuerit, nobis in ambiguo est: cum præsertim ea nominum inditione plebeiorum hominũ, qui se ipsi adoptabant, et maiorum gentium titulis nuncupabant, magna ex parte corruptam Romanæ historiæ ueritatem Cicero affirmet. Is, quacunque progenie fuerit, Hadriani temporibus floruisse dicitur, & libros Epitomatum unum, Epistolarum complures ab eo relictos: unde ea sint omnia, quæ Tribunianus suis Digestis inseruit Labeonis nomine, non ab Antistio, quem Politiani errorem repetitum, ut pleraq;, à Cotta, Riuallius Allobrox non absurdè coarguit. Cuius sententiam, ut probem, facit à Labeone citata sæpe Labeonis in legibus autoritas. Sic enim malo accipi, quàm, ut mihi quoque ipsi aliquando placuit, patrem à filio laudari, quos ambos suprà memorauimus.

ff. de cond. et dem. xxx ix et xl § pen.

T. ARISTO.

T. quoque Aristonem, & si omisit Pomponius, nobis non est uisum præterire. Fuit enim iurisconsultus & doctus, & priuati iuris ac publici peritissimus. Quod non modo Gellius indicat, sed Plinius quoque iunior honorificentissimis ad eum literis testatur. Consulit enim hominẽ de obscuro iure quodã senatorio (quod, & si corruptis exemplaribus, partem ait esse publici) an sententias diuidi, an iri in singulas oportuerit. aitq; Aristoni in omnium penè negligentia, & temporum Domitiani iniquitate, superfuisse curæ: sic iura publica, ut priuata: sic antiqua, ut recentia: sic rara, ut assidua tractare. Apud eundẽ alia epistola se purgat, de recitatis uersiculis molliusculis, in quo illum amicè ac simpliciter à quibusdã reprehẽsum docuerat. Scripsit Aristo uolumina de decretis Frontinianis. Frontinũ enim & Corelliũ (ut ne hos quidem præteream) ait idem Cæcilius spectatissimos in ciuitate uiros extitisse sua tẽpestate, et à se in consiliũ adhibitos super inofficioso testamento: quos tamẽ ne scias an inter iurisperitos numeres. idẽ certe Plinius mortẽ Corellij, sine ulla eius professionis mentione describit. ideoq; omittimus.

Cæcilij locus castigatus.

ALBVRNIVS VALENS ET TVSCIANVS.

IAboleni auditores, Alburnius Valens, quem quidem Eburniũ, Capitolinus Saluium nuncupat (nisi uero duo sint, alter ab altero diuersus Valens atque Alburnius, siue malis Eburnium) & Tuscianus, parum omnino habẽt, quod in eorum uita memorari poßit. Nisi quod Valens traditur Antonino Pio operam suam in iure condendo, atque usum præstitisse, ac reliquisse Fidei commissorũ libros septem. Neque uero satis constitutum habeo, hunc illum esse Valentem, ad quem sunt Plinij Cæcilij literæ, cum nonnulla tamen significatione uel iuri uel aduocationibus dediti hominis. illum quidam cum Vero fuisse Cos. tradunt.

VINDIVS VERVS, VLPIVS MARCELLVS.

HOs quoque Antonino Pio fuisse in consilio, cum iura conderet, quibus non mediocriter incubuit, Capitolinus est autor: sed ita, ut quibusdam quatuor, alijs duo uideantur, quod propius uero est. Vlpium igitur Marcellum etiam Seueri imperio floruisse ferunt, et reliquisse libros Digestorũ unum. uel ut est apud alios, octo & triginta, Responsorum unum, sex ad Leges. quibus adijcit Riuallius Quæstionum XXIX. de Iure militari duos, quinq; de Officio Cos. Vtraq; familia & Vera & Marcella nobilißimæ, illa uero etiã imperatoria, sed quarum nescias ij nec ne fuerint progenies. Marcella durat in hodiernum Venetijs, & pristinam nobilitatem retinet: ut & aliæ aliquot Romæ Calua, Memmia, Balba, Veturia: &, ut quibusdam placet, Cornelia, ex fuga seruitutis & barbariei in portum libertatis principatusq; seruatæ.

ARRIANVS.

HAdriani atq; Antonini tempora, ut pacata & iusta, multos iuris prudentes tulere. in ijs etiam Arrianum, qui libros fertur scripsisse complures, præsertim de Re militari. Sunt qui existiment hunc illum esse, qui res gestas Alexandri Macedonis Græcè scripserit, quibus ego non facile assentiar: citius illum extitisse putem, ad quẽ multæ sunt Cæcilij epistolæ, quibus eum non tam quasi

Iuri-

Iurisconsultū, quàm ut aduocatum et oratorem, atque adeò Demosstheni et Caluo ui orationis parem alloquitur. significatq́; & in senatu uersatum, tandemq́; in otium secessisse.

TERTVLLIANVS.

EIdem ætati ascribitur Tertullianus, qui libros Quæstionum quatuor, unum de Castrensi peculio edidit. Quidam eum & Cos. fuisse produnt, quod ego apud Cassiodorum non reperio, sed Tertullum: quem Cæcilius Cornutum uocat, principatu Antonini Pij, collegam Sacerdotis. ad cuius etiam relationem factum interpretor S.C. Tertullianum, sed Hadriani imperio, de successione matris in bona filij intestati, ad quæ per XII tab. antea non admittebatur. Sunt qui coniiciant eundem esse Tertullianum, qui postea religionē Christi amplexus, egregios pro ea libros reliquerit. id mihi nondū plane liquet. Extat alioqui apud D. Hieronymum inter scriptores Christianos.

SALVIVS IVLIANVS.

SAluius Iulianus cognomento Seuerus origine Mediolanensi, nobili familia, iuris peritissimus fuit. Quam cognitionē à Prisco Iaboleno acceperat, is perpetuum Edictum diligentissimè composuit suppleuitq́;, etiam nouo addito capite, quo liberi emancipato patri coniungerentur in bonis possessionibus successionum prætoriarum, anno post natum Christum, CXXXIIII. per Hadriani imperium. Cui etiam in consilio, cum iudicaret, assedit. Antonino dein de Pio ac DD. fratribus carus & magno in honore fuit. Eum enim quodam rescripto & amicum suum & V. C. appellant. Extat eius apud Pomponium memorabilis illa uox, Et si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc tamen addiscere uellem. Consulatus duos gessit, & præfecturam urbis: sed iuris ciuilis scientia maxime nobilitatus est. Reliquit libros Digestorum nonaginta, de Ambiguitatibus unum, ad Minutium sex, ad Vrseium quatuor. Hunc nonnulli uetustissimum putant, inter eos, quorum ex operibus digesta Iustiniani Tribunianus confecerit. Constat ex antiquissimis & illi æuo proximis autoribus, paternum proauum fuisse Iurisperitum Didio

Politiani error.

Iuliano, qui post Pertinacem, imperium Romanum à militibus pecunia redemit. Tametsi apud alios leuioris fidei scriptores auum, à Politiano autem (per errorem credo) auunculus dicatur. Nam ex Iurisconsulti filio natus Petronius Didius Seuerus, *principem ex clara* Aemilia *genuit. Saluium ad* Commodi *usque tempora peruenisse, ab eoq; inter principes uiros cæsum, memoriæ proditur à Græcis quibusdam autoribus: quorum fidei temporum interualla non satis congruunt, nisi ad extremam senectam uenerit. Imperator ipse proauum iuris gloria adæquasse creditus. Cuius uitam quod optimis plurimisq; autoribus, ampliore titulo, inter imperatorias traditã habemus, conscribendi consilium non fuit. Sepultus est uterq; uia Labicana, milliario ab urbe quinto. Sunt quibus placeat etiam Iulianũ illum Christianæ religionis desertorem, Romanum principem, ex hac familia nonnullam originem ducere. quod nobis non satis constat. Ille enim ex* Constantio Constantini Magni *fratre germano est natus, prosapia paterna Dardanæ originis, matre* Basilina *nobilissima, per quam si forte Iulianorum domum contingebat, satis imperij nomine & scriptis testatam sui memoriam reliquit.*

L. VOLVSIVS METIANVS.

ANtoninus Pius, *& (ut* Politianus *addit)* Hadrianus *etiam hoc quoque iurisperito sunt usi.* M. *uero* Antonius *philosophus, cum iuuenis adhuc iuri operam daret, eundem hunc magistrũ habuit. Quod haud mediocris laudis loco equidem posuerim, cum ille uere diuinius princeps tantopere uel studia coleret, quibus meliorẽ fieri uitam negari nõ potest: uel magistros honoraret. Solebat enim ille imagines præceptorum aureas in larario habere, et mortuorũ sepulchra, adhibitis hostijs et floribus semper ornare.* Traditur *à* Lampridio Metianus *etiam discipulus fuisse* Papiniani, *et* Alexandri *Imperatoris familiaris, & in consilio socius, ut ratione temporũ adducar, ne eundem* Metianum *putem. Fuerunt alterutrius aut utriusque opera hæc,* Fidei *commissorum libri sexdecim, publicorum quatuordecim: addit* Riuallius *Quæstionem singularem.*

MAR-

VT similia nomina, quæ sæpe mutuò uitiantur, coniungamus, fuit per eadem sanè aut paulo inferiora tempora, Aelius Martianus autor iuris non inceleber. Eum Didius Iulianus Imperator iusserat occidi, sed elapsus discrimini, postea in consilio Alexandri fuit. Libri eius hi ferebantur: Institutorum sexdecim, Regularum quinq;, de Appellationibus duo, totidem Publicorum, Singulares tres, de Delatoribus, Hypothecariæ, ad Senatusconsultũ Turpilianum. Sanè eadem hic quoque quæ & in Metiano, ambiguitas. Martianũ enim Lampridius inter discipulos Papiniani, familiaresq; socios & consiliarios Alexandri principis numerat, ad quem sunt ab Hadriano anni amplius centum, à Iuliano fermè quinquaginta. Sed tamen non habeo autorem ueterem de intentata ei à Iuliano cæde. et pugna est nõ inter Capitolinũ et Lampridiũ, sed inter hunc et Politianum: quiq; eius autoritatem secuti sunt. Mauricianum præterea quendam numerat Riuallius, cuius fuerint ad Leges libri sex.

SERBIDIVS SCAEVOLA.

M. Antoninus quem sapientiæ studiũ Philosophi cognomine honestauit, hoc præcipue iurisperito & sanciendis legibus, & in consilio Imperator est usus, & ante imperium, ut nonnulli tradunt, etiam præceptore. Docuit præterea Serbidius Septimium Seuerum Afrum, qui post Iulianum gloriosissimè imperauit, & Papinianũ etiam. Solebat dicere, ius ciuile uigilantibus esse scriptum. Reliquit libros Quæstionum uiginti, Digestorum XL. Responsorum sex, Regularum quatuor, de Quæstione familiæ unum, alium Quæstionum publicè tractatarum. In responsis eam semper cautionem adhibuit, ut ius ad facti conditionem qualitatemq; accommodaret. Itaque semper illa clausula utitur, secundum ea, quæ proponerentur.

AEMILIVS PAPINIANVS.

IVris ciuilis cognitionem Papinianus, Hostilio Papiniano atque Eugenia Gracili natus, à Scæuola didicit. Procurationem fisci post Septimium Seuerum exercuit, cui quod uel ex condiscipulatu, uel affinitate per secundam uxorem (nam id quoq; traditur) uel con

Politiani et Cottæ error

suetudinis gratia, amicissimus erat. Vbi ille rerũ potitus est Papiniã num præfectum prætorio constituit, non, ut ait Politianus et Cotta, urbis. Quo in magistratu Paulum atq; Vlpianum discipulos suos assessores habuit. Idem princeps ei moriens filios suos cõmendauit. quorum alter Antoninus Bassianus Caracalla à patre posthabitus, ad imperium tamen fauore exercitus cum peruenisset, Getamq; de medio tollere in animo haberet, & de insidijs eius apud prætorianos milites in castris questus esset, Papinianus, etiam tum prætorij præfecturam obtinens, fratrum concordiam quàm potuit maximè fouit, egitq; ne Geta occideretur. Qua de re, cæso iam fratre, infensus et Caracalla, tametsi eum cum cæteris concordiæ autoribus perdere destinasset, ei tamen innitens, à Capitolio in palatiũ redijt. Nec multo pòst alijs compluribus sublatis, qui fautores fuerant Getæ, à militibus, non solum permittente, uerum etiam suadente Caracalla, occisus traditur. Sunt qui in conspectu eius securi percussum, & à militibus confossum scribant, ideoq; carnifici dixisse principem, gladio te exequi oportuit iussum meum. Causa mortis, utcunque aut prætextus certe atque occasio, amor Papiniani non tam in fratrem, quàm in concordiam utriusq; fuit: proditum tamen uariè memoriæ est. Multi dixerunt Caracallam, occiso fratre mandasse Papiniano, ut & in Senatu per se et apud populum facinus dilueret: illum respondisse, Non tam facile parricidium excusari posse quàm fieri. Alij rogatum ferunt à principe, ut orationem, qua inueheretur in fratrem, sibi dictaret, recusasse, ac dixisse: aliud est parricidium, accusare innocentem occisum. Quam causam tametsi quidam improbent, cur nõ conueniat, haud equidem uideo: in iuri sperito præsertim, qui non minorem dicendi, quàm armorum facultatem haberet. Illud constat, diuinam ab eo in morte editam uocem. Nam, cum raptus à militibus ad palatium traheretur occidendus, dixit: stultissimum fore, qui sibi succederet, præfectum, nisi uiolatam crudeliter præfecturam uindicaret. quod et factum est. Nam successor Papiniani Opilius Macrinus, & ipse à iuris studio non abhorrens, occiso Caracalla, ex præfecto prætorij imperium inuasit. Cuius Macrin

crin

crini uitam, quòd multis imperij nomine conscripta est, non conficiemus: sicut ne Traiani quidem aut Iuliani, aut deniq; cæterorum imperatorum confecimus. Hunc finem immeritissimò habuit uir sanctitate morum, scientia ac rebus gestis inclytus. qui iuris Asylum, qui doctrinæ legum thesaurus fuerat, ex cuius ludo, tanquam ex equo Troiano, innumerabiles ciuilis scientiæ proceres exierant. Atque ideo habuit, quòd parricidiũ excusare noluerat, ne homini per se et sua conscientia magno, dignitas saltem deesset. Verumenimuero longe tum is ea de morte fœlicior, quàm ille de imperio, qui se fœlicissimum omnium existimabat. Neq; tamen tanto scelere satiari rabies tyrannica potuit, sed innocentissimi filij cædem patris sanguini addidit. Qui quum triduo antè quæstor opulentũ munus edidisset, interemptus est: & paucis diebus innumeri, qui Getæ partibus fauebant. Ita quantum in illa fuit peste atq; immanissima bellua, seminarium omne iuris interciderat, nisi complures, atque omnes quos infrà subnectam, haustam è Papiniani fontibus disciplinam (unde ipsi Papinianistæ sunt dicti) conseruassent: & uolumina eius, quæ hæc fuere, libri Responsorũ XIX. Quæstionũ XXXVII. Definitionũ duo, de Adulterio unus, Ad Edictũ ædiliũ curuliũ unus, Digestorum XIX. Fertur hominis epitaphiũ duplex. Nã Socinus filius scribit, ætate sua, ut ex patre audierit, urnã argenteam à quodã rustico Romæ inuentã, ossáq; inde in Tiberim piecta, ubi hic titulus fuerit:

Aemilij Papiniani iureconsulti et præfecti prætorio requiescunt hic ossa, cui infœlix pater & mater sacrum fecerunt, mortuo anno suæ ætatis XXXVIII. Alterum ex marmoribus, quod ego diu quæsitum Romæ non comperi, tale fuit.

D. M.

Aemilio Paulo Papiniano præfect. prætor. iurisconsulto qui uixit annis XXXVI. diebus X. M. IIII. Papinianus Hostilius Eugenia Gracilis turbato ordine in senio heu parentes fecerunt filio opt.

FABIVS SABINVS.

PAtrem Fabij Sabini Sabinum constat insignem uirum et consularem fuisse. Qui cum Senatus, iussu Heliogabali, cædem con-

consobrini sui Alexandri, qui post eum imperauit, agitantis, urbe excessisset: ipse quod remanserat, uocato per principem centurione, mollioribus uerbis occidi est iussus. Cæterum surdaster centurio, ut urbe Sabinus pelleretur, mandari sibi ratus, hominem eiecit. idq; uitium saluti Sabino fuit. Ad eum sunt scripti libri, ab Vlpiano, Paulo, Pomponio, qui ad Sabinum feruntur. Filius Fabius Sabinus intimus Alexandro & consiliarius, Cato sui temporis est dictus. De illo Politianus et Cotta dubitant, uter (nam alterutrũ constat) Papiniano operam dederit, & libros scripserit Iuris ciuilis tres, Epistolarum octo, ex Proculo singularẽ: quibus addit Riuallius Responsorum tres, ad Vitellium XX. Digestorum ad Edictum prætoris urbani quinque. hæcq; filio attribuit. Illud præterit, in quo ijdem illi ambigunt, uter fuerit, qui consularis & præfectus urbi, sub Maximino fuste percussus in populo atq; occisus, & in publico relictus sit. Id Zasius patri, iuris scientiam filio concedit.

DOMITIVS VLPIANVS.

INsignem is etiam famam inter iurisconsultos & uiuens et post fata obtinuit, Pheniciæ urbe Tyro, ut ipse fatetur, oriundus. Is primum Papiniani disciplina eruditus, eidem prætorij præfecto assedit, atq; in consilio fuit. Moreq; iam inde à M. & Commodo per Pescennij Nigri motum tradito atq; obseruato, cum sacrorum scriniorum Alexandri principis magister et consiliarius assessorq; fuisset, ac ad libellos apparuisset, statim præfectus pretorio & ipse est factus. Alij ab Heliogabalo delatum ei hunc honorem scribunt. Vtcunque, (Heliogabali imperio dicam an tyrannide?) ut uir bonus à republica remotus est, cum illa impura belua cædibus, exilijs, libidine cuncta repleret, uixq; uitam retinuit. Cæterum cum diutius ferre ciuitas tantam nequitiam non potuisset, trucidato turpißime, atq; in Tiberim proiecto Heliogabalo, fœlicius Alexander rempublicã accipit, prudentius administrauit. Cumq; inter cætera, quæ illi diuinitus egregia contigere, nullam causam tractaret, nisi uiris doctis adhibitis, negotiaq; et causas prius à scriniorũ principibus et doctissimis iurisperitis & sibi fidelibus tractari ordinariq;, atq; ita referri

ad

ad se praecepisset, leges ad haec multas de iure populi & fisci moderatas sanciret, neq; ullam constitutionem sacraret sine uiginti iuris peritis & doctissimis ac sapientibus uiris, ijsq; disertissimis non minus quinquaginta, ut non pauciores in consilio essent sententiae, quàm quot S.C. conficerent. & id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisq; dixisset: dato tamen spacio ad disquirendum cogitandumq; prius, quàm dicerent, ne impraemeditati uerba facere cogerentur de rebus ingentibus. In hoc egregio opere principem habuit Vlpianum, & in toto imperio ita honorauit, ut familiaris ac socius principis diceretur. Cuius amplitudinis culmen nonnulli à consulatu Anniani & Maximi ordiũtur, qui fuit quartus imperij Alexandri. Idem princeps, cum in animo haberet omnibus officijs genus uestis proprium dare: & omnibus dignitatibus, ut ex uestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur, id Vlpiano Pauloq; displicuit, dicentibus plurimarũ rixarũ causam fore, si abiecti homines iniurijs exponerentur. Itaq; ijs autoribus res moderata est. Illud erat summi amoris indiciũ, quòd princeps, cum post epistolas simul omnes amicos soleret admittere, cum omnibus pariter loqui, nec unquam solum quenquam excipere, Vlpianum modò praefectum, et assessores suos, remotis arbitris introduci sinebat. Et si quis cum illis adhibendus esset, Vlpianum semper rogabat, neq; ullum unquam alium, ne ex domesticis quidem, solum in palatio, quàm Vlpianum uidit. Cumq; inter suos conuiuaretur, Vlpianum frequenter accersebat, qui cum literatos aliquos sermones, quibus se recreari dicebat & pasci, habebat. Deniq; eum pro tutore habuit, primò repugnante Mammea matre, cui princeps tribuebat plurimum: dein gratias agente. Eiusdem saepenumero purpurae obiectu, ab ira militum enixe defensus est Vlpianus, constititq; ideo summum illum imperatorem extitisse, quod Vlpiani praecipue consilijs rempublicam gubernasset. Meritò igitur quaerenti Constantino Magno, quid fuisset, quamobrem homo alienigena & Syrus & adolescens Alexander in talem euasisset principem, cum Tiberij,

Caligulæ, Claudij, Nerones, Galbæ, Othones, Vitellij, Domitiani, Commodi, Iuliani, ante illum principes Italici ac Romani sanguinis, imperatorium nomen dignitatemq; fœdassent, rescriptum est à prudentißimo rerum autore Lampridio, id potißimum probitati ac moribus eorum esse accepto ferendum, quos ille princeps in consilio habuerat. Quorum & si primas tenuit Vlpianus, tantæ tamen gloriæ partem, & qui dicentur cæteri iuris prudentes sibi, ac sodalitium uendicant. Vtinamq; nostris principibus liberet interdum ad hæc animum intendere, ut quos ratio ac religionis quam profitentur autoritas non mouet, exempla saltem prophanorum hominum excitarent. Verum illud integritati Vlpiani (ut omnibus aliquid fato negatum est) defuit, quod Christi pietatem, à qua non ualde princeps eius abhorrebat, (siquidem Christum in larario atq; Abraham coluit) est insectatus. Nã libro V. de Officio procos. rescripta principum contra Christianos collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores ueri Dei confiterentur. Sed id nimirũ uitio temporum Vlpiano contigit. Inuenio apud quosdam Vlpiani basilicam Romæ nominari. Ei tantum à Modestino alijsq; tributũ est, ut uertex legum nobilißimus atque egregius diceretur. Reliquit ingentem numerum librorum, quibus potißimum referta sunt Iustiniani digesta, decem libros Pro tribunali, totidẽ de Officio procos. ad Edictum LXXXIII. XX ad Leges, septem Regularũ, Fidei commissorum sex, de Adulterijs quinq;, de Appellationibus quatuor, ad Sabinũ lib. Opinionũ sex, de Officio Cos. tres, Responsorũ duos, sex de Censibus, Institutorũ duos, septem Singulares, de Sponsalibus, de Officio præfecti uigilũ, de Prætoris tutelaris, de quæstoris, Regularũ rursus, de Officio præfecti urbi, de Curatoris reipublicæ & publicarum disceptationum.

IVLIVS PAVLVS.

Eidem Papiniano, quem præceptorem iuris habuerat, Paulus Patauinus, cuius statuam hodieq; patria colit, assessor atq; in consilio fuit, ac dein principis à memoria. Perq; hos gradus ad præturam & consulatum, demumq; ad prætorij præfecturam, summũ

tunc

tunc à principe locum, peruenit. eadem familiaritate, societateq;, ac grauitate atque honore & consilij munere, quibus Vlpianus apud Alexandrum floruit. Nec minus de hoc, ab utro præfecturam acceperit, Heliogabalo'ne an Alexandro, ambigitur. Eandem constitutionem de uario hominum uestitu improbauit. Denique post Vlpianum, nemo plus apud optimum principem Alexandrũ ualuit. Vt appareat, quantum uel boni aulici ac ciues principibus, uel boni principes scientijs ac moribus prouehendis, reipublicæ conferant. Itaque Paulus Vlpiano honore ac doctrina par, numero scriptorum etiam superior fuit. Tres enim et uiginti Responsorum libros conscripsit, Quæstionũ sex, supra uiginti, ad Edictum octoginta, tris et uiginti Breuium, ad Plautium duodeuiginti, ad Sabinum sexdecim, decem ad Leges, Regularũ septem, Sententiarũ uel Factorum sex, Sententiarum rursus quinq;, ad Vitellium quatuor, ad Neratium quatuor, Fidei commissorũ tres, de Adulterijs tres, Decretorum tres, Manualiũ tres, de Officio proconsulis duos, ad legem Iuliam duos, Institutorum duos, de Iure fisci duos, ad legem Aeliam Sentiam tres. Libros præterea singulares reliquit, Regularum rursus, Regularum tertio, de Officio præfecti uigilum, de Pœnis paganorum, de Officio præfecti urbi, de Pœnis militũ, de Vsuris, de Iure codicillorum, de Officio prætoris tutelaris, de Pœnis omnium legum, de Gradibus et affinibus, de Excusationibus tutelarum, ad S.C. Orficianum, ad S.C. Tertullianum, ad S.C. Velleianum, ad S. C. Libonianum seu Claudianum, ad S.C. Syllanianum, ad regulam Catonianam, de Extraordinarijs criminibus, de Hypothecaria, ad Municipalẽ, de Publicis iudicijs, ad Orationem diui Seueri, de Inofficioso testamento, de Secundis tabulis, ad Orationẽ diui Marci, de Tacito fidei cõmisso, de Septemuiralibus iudicijs, de Iuris & facti ignorantia, de Iure singulari, ad legem Falcidiam, ad legem Velleiam, ad legem Cinciam: de Portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur: de Adulterijs, de Iure libellorum, de Iure patronatus, de Testamentis, de Instructo & instrumento, de Appellationibus: de Iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia uenit: de Actionibus, de Intercessionibus fœmina-

rum, de Cōcurrentibus actionibus, de Legibus, de Libertatibus dandis, de Donationibus inter uirum & uxorē, de Legitimis hæreditatibus, et de S.C. librum etiam singularē, de Varijs actionibus, et octo Digestorum. Extant hodie libri quinque Receptarum sententiarum ad filium, ex tam multis.

POMPONIVS.

Felici illo imperio Alexandri floruit & Pomponius, uir legum peritißimus, doctrina Papiniani imbutus, familiaris ac penè socius consiliariusq; principis. Is discendi studium unam optimam uiuendi rationem existimabat, eamq; in octauum & septuagesimum ætatis annum perduxit. Quamobrem multa eius fuere uolumina. Illud extat eius singulare in hanc disciplinam beneficiū, quod omnes ad Iulianum usq; peritos iuris diligenter collegit, qui labor nostrum hoc opus plurimum adiuuit. Scripsit libros omnino quorum sit habita ratio in conficiendis Digestis, quorum nunc iure utimur, ad Q. Mutium lectionum XXXIX. ad Sabinum XXXV. Epistolarum XX. Variarum lectionum XV. ad Plautium VII. Fideicommissorum quinque, Senatusconsultorum totidem, Enchiridij duos, Regularum unum. Iis adiungit Riuallius ad Aedem octoginta, ad Edictum LXXXIIII. Digestorum XL. de Stipulationibus XVII. Gens Pomponia nō in postremis clara, unū habuit in libera ciuitate Cos. sed bis, M. Pomponium Mathonem, anno V.C. DXX. & biennio interiecto iterum, & XIIII post magistrum equitum & prætorē eodem prænomine: itidemq; insequenti anno, ac multis postea, unū Cos. in serua reperio L. Pomponium Flaccum, principatu Tiberij.

HERENNIVS MODESTINVS.

Eisdem honoribus, ætate, magistro, Modestinus est usus. Accessit honos ex discipulo imperatore, Maximino filio, & ex consulatu, quem gessit principatu Alexandri. Versus etiam factitauit, quorum extant in Virgilij libros argumenta falsò quondam tributa Ouidio. Sed operibus legum longe clarior, scripsit libros Responsorum XIX. Pandectæ XII. Regularum decem, Differentiarum nouem, de Pœnis quatuor, Singulares nouem, de Præscriptionibus,

onibus, de Inofficioso testamento, de Manumißionibus, de Legatis & Fideicommißis, de Testamentis, de Eurematicis, de Enucleatis casibus, de Differentia dotis, de Ritu nuptiarum. Excusationum præterea sex libros dicitur reliquisse, quod nescias an idem sit opus cũ eo quod de Excusatione tutelæ & curæ fertur de Græco uertisse n Latinum, ipsis legum uerbis interdum positis, si qua incurrissent parum apta latinitati. Quod tamen Politianus negat, et inepto alicui ascribere eam interpretationem mauult. Certe Tribonianus inde magnam partem tituli de Excusatione tutorum in sua Digesta transcripsit.

ALIQVOT ACERVATIM.

Reliqui sunt ex his, qui instructi à Papiniano, Alexandri tempora & imperium illustrauere, partimq; etiam Seueri et Antonini, aut paulo superiora: de quibus nihil penè præter libros habeo dicere. Tarruntius Paternus scripsit libros Militarium IIII. Macer Militarium publicorum, de Officio præsidis. Icaston de Appellationibus binos. Terentius Clemẽs ad Leges XX. Menander Militarium quatuor. Archadius unum de Testibus. Ruffinus Regularum XII. Papirius Fronto quatuor Responsorum. Anthius, uel Publius Furius Anthianus partis edicti quinque. Maximus ad legem Falcidiam. Hermogenianus Epitomatũ sex. Africanus Quæstionum IX. Florentinus Institutorum XII. Tryphonianus Disputationum XXI. Iustus Constitutionum XX. Calistratus de Cognitionibus VI. de Iure fisci IIII. Institutorum tres, Quæstionum III. Edictorum monitoriorum sex. Venuleius Stipulationum XIX, Actionum X. unum de Pœnis paganorum, III Publicorum, de Interdictis VI. quatuor de Officio procos. Celsus charißimus Alexãdro, XXXIII ad Sabinũ Digestorũ libros, Quæstionũ XXI. Fuere præterea per Alexandri tempora, quorum nomina operum nulla extant: Hermogenes, Alphenus iunior, Metianus iunior, Proculus, & Iulius Frontinus, cuius forte est opusculum de Limitibus: non eius qui uixit per Traiani tempora. Incertæ autem ætatis Saturninus, X libros ad Edictũ reliquit. Suphus Quæstionum duos. Hadrianus de Interdictis totidẽ.

Puteolanus assessorum aliquot. Verrium etiam Flaccum Festus, Macrobius, Diomedes, ut Iurisperitum non semel laudant.

TRIBONIANVS, ET SOCII.

Constantini, qui primus Romani imperij sedem, deteriore euentu quàm consilio mutauit, facto contigit, ut transmarini etiam periti iuris censendi sint. Quos inter Tribonianus primas facile tenet, ut cuius monitu & opera Iustinianus, dispersum antea infinitis uoluminibus ciuile ius, & crebris opinionum dissensionibus, quasi intestinis bellis fluctuans, in hanc, quæ post M. annos adhuc durat, breuitatem concordiamq; contraxerit. id quod tanto ante C. ipsi Cæsari dictatori in animo fuerat. Is igitur Tribonianus Macedoniani F. genere Pamphilius fuit, inter fori principes, Cos. Iustiniano magister officiorum, assessor, & quæstor, quod munus tum apud Constantinop. Imperatorem solenne erat. Euenit septimo principatus anno, ut Veneti Prasiniq;, seditiosa factionum nomina, ita conspirarent, ut fugato imperatore ac Senatu, urbe magna ex parte inflammata, ædes multas publicaq; opera incenderint. Quem tumultum ut sedaret imperator, Tribonianum & Ioannem prætorio præfectos in sicariorum gratiam magistratu mouit. Id enim magnis uocibus, propter exercitam in se antea quietis rebus seueritatem, ab armata plebe undique flagitabatur. probra in utrunq; tota urbe iactabantur, ipsiq; ad necem diu frustra quæsiti erant. Triboniano Basilides successor datus, uir mansuetudine ac æquitate inter Patricios clarus. postea tamen Tribonianus in suum locum rediijt: quo perfunctus, multos pòst annos morbo decessit. Vir fuit ingenio miti atque humano, ut nihil unquam præterea à quoquam ingratum sit passus. Quibus moribus & singulari omnium artium doctrina unum auaritiæ crimen facile obscurabat: cum tamen non nisi iustum sectaretur lucrum, legesq; assidue aliquas ex usu aut antiquaret aut conderet. Quod qui omnino arguunt, næ illi instabilem rerum humanarũ conditionem parum intelligunt. Hæc de Triboniano Procopius, historicus haud paulo melior quàm Suidas nescio quis. A quo traditur Tribonianus auaritiæ morbo misere laborasse,

ut ius ipsum precio quasi promercale habuerit, ac leges ad utriusque partis usum nunc tulerit, nunc abrogarit, & quasi quaestuarias prostituerit. nullum putasse esse Deum, penitusq; à religione abhorruisse: adulatorem atque impostorem fuisse, ut qui Iustiniano persuaserit, non moriturũ eum, sed cum ipso corpore in coelos iri sublatũ. Sed haec quis credat incerto autori? cum contrà stet scriptor grauis eorum temporũ Procopius, nec Iustiniani optimi, & (uel Suidae ipsius testimonio) religiosissimi principis prudentia & pietas passura fuisse, ne dum altura et prouectura, eiusmodi monstrũ uideatur.


Fuit eodem tempore Tribonianus alter, ex Sida Pamphiliae urbe, primarius & ipse causidicus, uir multae eruditionis & multorum operum, quae ponit Suidas, nihil ad ius attinentia. Theophilus quoque, Dorotheus, Isidorus, Cratinus, Talleleus, Theodorus, Anatolius, uiri illustres & peritiss. iuris, adhibiti à Iustiniano ad purgandas seligendasq;, quibus utimur, leges, insigne ab eo testimonium doctrinae ac fidei meruerunt.

VITARVM IVRECONSVLTORVM ueterum per Bernardinum Rutilium

FINIS.

BERNARDINI RVTILII COLONIENSIS AD MAGNIFICENTISS. uirum Mapheum Leonum patritium Venetum, in suam Decuriam

PRAEFATIO.



Ibellum, cui Decuriæ titulũ fecimus, exemplo ſcilicet eorum, qui ex capitũ numero Centurias lucubrationes ſuas inſcripſere, tibi iure optimo dicauimus, Vir ampliſſime. nam, cum tu inter patronos meos, eosq́ quibus mea ſalus chara eſſe uidetur, primũ facile locum teneas, quis erat, ſub cuius potius nomine, quàm tuo, laborum noſtrorũ ac ſtudiorum primitias edere, in'que lucem emittere deberemus? neq́ eſt, quod tu operis humilitatem, ac ſcribendi genus, ut tenue, fortè contemnas. Eiuſdem generis multa ſunt, noſtra, patrum, auorumq́ memoria ab eruditis uiris, qualem me & haberi & eſſe cupio, non primatibus modò, ſed & principibus, ſummisq́ etiam pontificibus dicata. Ego certe, quũ tibi plurimum debere me ſcirem, idq́ non obſcura animi ſignificatione notum plurimis eſſe cuperem, haud aliud fermè maius habui, quo te non tam pro meritis tuis, quàm pro meis uiribus remunerari poſſe exiſtimarẽ. Cum te præſertim ea benignitate atq́ elegantia eſſe præditum intelligerem, ut nullum fermè hominum genus magis, quàm eos qui doctrinæ aliquo nomine cenſerentur, fouere, amplexari, atq́ in ſinu gerere, ut ille inquit, ſoleres: nihilq́ tam charum gratumq́ exiſtimare, quàm literaria iſta munuſcula in te ab amicis collata. Quare habe tibi, quic

quid

quid est libelli: Habeant per te studiosi omnes, quibus (ni fallimur) ut exiguam, ita non omnino aut iniucundam aut inutilem operam nauasse iudicabimur: si qui modò nō fastidire prius, quàm legant, in animum induxerint. Me certe nihil tam deterrere à iuuandis studijs, si quid modò in ea re possumus, quiuerit, quàm si (ut est apud Salustium) nihil aliud quàm fatigando odium me quærere intelligam: nihilq; magis incendere eò, quàm gratæ doctorū animi significationes, sinceræq; ac sine adulationis fuco liberę de me meisq; sententiæ. Nam & ea ætate et animo sum, ut ex alijs discere non illibentius, quàm docere alios possim. nec me ambitio ulla ad hæc studia, quæ sanè nec cum magna gloria, ut plerisq; uidetur, nec cum modico labore mihi quidem tractantur, sed iuuandi sola cupiditas rapit, cum meo etiam maximo et rei familiaris, et existimationis, ut ab amicis existimatur, dispendio. quorum tamen ego nec opinionem probo, & orationes sino præterfluere, modo in bonam accipi partem, boniq; consuli qualescunque labores nostros uideam.

Vale. ad IIII Cal. Iunias.

M. D. XXVIII.

BERNARDINI RVTILII DECVRIA.

ADDITVM IN CAELII EPISTOLAM, quam pridẽ Egnatius emaculauerat. Cap. I.



N Marci illius Tullij Ciceronis, nunquam satis uel doctrina ac scientiæ genere, uel uitæ moribus laudati, Epistolarũ uolumine, quædam habentur æqualium quoq; eius ad ipsum literæ, tam simili perscriptæ stylo, ut meritò parem in illis uiris dicendi puritatem atq; candorem nostri homines antiquitatis studiosi mirati sint. Has, ut cætera priscæ illius ætatis literarum monumenta, quæ ad nos qualiacunque peruenere, corruptas, mendosas, ac laceras, castigare multi, atque ad pristinam illam integritatem redigere sunt adorti: quædam nonnulli fœliciter attigere, sed (ut uere dicam) codex is magno adhuc in damno est. Nobis indecorum ac turpe uisum, quum Ciceronem ipsum tam singulari memoria prosequeremur, ut uel unum eũ uel cum paucis ex illa uetustate cum doctissimum, tum optimum uirum iudicaremus, si non, quam & tanti uiri dignitas, & meus erga piorum manium memoriam amor posceret, at eam, quantulamcunq; liceret, scriptis eius opem non afferre, inter tot præsertim operum eius amatores, castigatores, lectoresq; etiam. Amatur ille quidem plurimum à me, dicamq; etiam (ut arbitror) citra iactantiæ culpam, nemo unquam ad eius uiri libros emendandos tantum animi ac cupiditatis attulit: ut quàmplurimos esse fatear, qui in eo iuuando plus multo temporis laboris atque olei impenderint, plus etiam profuerint, quàm ego non modò præstare, sed uel optare possim uel sperare. Tantum polliceor me pro uirili, nunquam singularis uiri dignitati defuturum. Est igitur libro, ni fallor, nono in Cælij Epistolis, cuiusdam initium, ut putatur, in hæc uerba:

,, Quod Marcus Marcellus Consul N. F. de prouincijs consulari-
,, bus.) Vir doctissimus, & multæ lectionis, Egnatius Venetus, qui-
busdam

busdam huius Epistolæ notis, quæ statim subijciuntur, lucem dedit. has uero duas ita est interpretatus, Nonis Februarijs. *Nos uero, & quòd huius clausulæ structuram imperfectam uidebamus, si sic legeretur, & quia senatusconsultorum ueterum Romanorum qualè hoc est cum superiori Epistola missum à* Cælio *ad* Ciceronem, *aliã fuisse formulam lectione priscorum autorum didicimus, confestim adducti sumus in eam sententiam, ut corrupta nota prior uideretur: atque pro* N. *reponendam consonantem* V. *quæ,* Verba *significet. Cui consequens fuit, ut & posterioris alium sensum diceremus: uidelicet,* Fecit. *ut sit totum,* Verba *fecit. neq;. n. aliter* Cicero *locutus est* Philippica *decima:* Quod Pansa *consul uerba fecit de literis, quæ à* Q. Cepione Bruto *procons. allatæ, & huic ordini recitatæ sunt, de ea re ita censeo. Item octaua:* Quod Lucius Opimius *consul uerba fecit de* Republica, *de ea re ita censuerũt, uti* Opimius *consul* Rempublicam *defenderet.* Senatus *hæc uerbis,* Opimius *armis. Item tertia:* Quod Tribuni *plebis uerba fecerunt, ut senatus calendis Ianuarijs tutò haberi, sententiæq; de summa Reipublicæ liberè dici poßint, de ea re ita censeo. Sed &* Vlpianus *iurisconsultus, ubi de* Velleiano *senatusconsulto agit, in Iustinianis pandectis:* Cu*ius, inquit, senatusconsulti uerba hæc sunt.* Quod Marcus Syllanus *&* Velleius Tutor *consules uerba fecerunt de obligationibus fœminarum, quæ pro alijs reæ fiunt, quid de ea re fieri oporteret, de ea re ita consuluerunt.* Tranquillus *quoque de claris* Rhetoribus: Fannio *(inquit)* Strabone, *&* M. Messala *consulibus,* M. Pomponius *prætor senatũ consuluit, quod uerba facta sunt de* Philosophis *&* Rhetoribus, *senatores consulti de ea re ita censuerunt, ut* M. Pomponius *prætor animaduerteret, curaretq;, ut si ei è* Republica *fideq; sua uideretur, uti* Romæ *ne essent. Poßit fortaßis & alijs testibus comprobari sententia: sed hæc abunde satis uisa sunt. Accesit uero coniecturæ huic nostræ, iampridem initæ, exemplaris quoque cuiusdã manuscripti fides, non illius quidem in plerisque ualde integri, sed cuius tamen scriptionem extrema pagella cuidam tribueret ludi magistro. alia autem ante eam erat, quæ* Franciscum Petrarcham *præfe*

rebat autorem. Vt illud uerum fiat, quod Politiano placuisse uideo de fonte ac capite, unde hi qui extant Ciceroniani *codices effluxerint, & deriuati sint. Erat igitur in eo exemplari* V *litera, non* N: *ut iam dubij nihil superfit candido Lectori, cuius quidem officium præstitisse non uidetur hac parte* Egnatius *(pace eius dixerim.) Profecto enim, quemadmodum in codicibus Mediolanensibus duas hasce literas meritò expunctas reprehendit: ita par erat, ut se quoque illas posteriores notas eorundem codicum beneficio intellexisse, nõ dißimularet. Id satis mirari nequeo, obseruationem hanc à* Probo Petroq; *Diacono in notis præteritam, hasceq; duas literas non alia, quàm V sus fructus, uel* Viuens *fecit, significatione donatas: cum essent in senatusconsultis frequentißimæ. Sed (ut est apud elegantißimum poëtam) nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquã, quem non in aliqua re uidere Suffenum poßis. Nos præter hæc addemus ex eadem Epistola quædam non omnino spernenda:*

,, *Neque quid prius (inquit) ex calendis Martijs ad senatum referrent, neq; quid coniunctim.)* Lego utrobiq;, Ne'ue quid: *ex forma antiquarum legum, senatusq; consultum. quæ lectio in scriptis quibusdam extat exemplaribus.* ,, *Sane tum (inquit) uterque consul faceret. in alijs aliter, nusquam recte. Ego sola coniectura ductus, legendum ita contenderim:* ,, *Senatusq; consultum facerent. Quod hi (inquit) non tulissent, utique, quicunq; deinceps essent, ad populum plebem ue ne ferrent. Scribo, non* Vtiq;, *sed* Vti *quicunq; deinceps, & reliqua, ut antè. Subijciemus nunc notas tris, inq; eas sententiam nostram non celabimus:* S.A.D.) *Corruptas notas arbitramur, uel illam tertiam ex abundanti additam. prima autem Senatorũ significare poterit: altera, Autoritates: ut sit, Senatorũ autoritates: uel, Senatores autores: uel, Scripti autores: uel, Scriptæ autoritates. Tertiam illam planè ignoramus. Cælij certe non sunt uerba hæc, sed exemplum est senatusconsulti hactenus recitati, inde scilicet, Quod Marcus Marcellus. quod ubi scriptum totum est, qui eius autores fuerint, subijcit, quod scilicet initio promiserat: Senatusconsultum, inquit, quod tibi misi, factum est, autoritatesq; perscriptæ.*

statim

Statim aūt post uerba hæc, exiguo interposito spacio, quasi tituli uice S.C. scribendum fuerit, ut significaretur Senatusconsultū subijci, quod mitteretur. uel, si & hoc placet, addatur eo loco duabus his notis & tertia A, ut Autores ostendat. Cætera uero quæ sequuntur, pridie calendas Octobris, & reliqua, malè ibi posita sunt, quum post Senatusconsulti uerba supponenda fuerint. quod & factum est, ut iam temere repetita uideantur: sicut & id quoq;, quòd quasi Cælij duæ epistolæ separatæ sunt. Siue igitur hæc, siue illorum senatorum nomina retinere libet (nam & prioris illius senatusconsulti autoritates ante ipsius senatusconsulti uerba scriptæ sunt, ut hæ quoque residere hoc loco perbelle poßint, posterioribus scilicet illis abolitis) altera delenda censemus, in quibus tantum alterutris haud modice peccatum est. Atque, ut alia nunc prætermittam, quod scribitur, Lucius Atteius Lucij filius Ancapito.) Cum Ancapitones nusquā legerimus, Capitones sæpe, potuit ita notis esse scriptum in hanc sententiam: Lucius Atteius, Lucij filius, Atteij nepos, Capito. Sanè, quod relatis autoritatibus alterutrius senatusconsulti subijcitur, alterum senatusconsultum est. cuius initium: Quod Marcus Marcellus ut de prouincijs. In quo pro Vt, scribimus (ut suprà quoq;) Verba fecit. erant enim notæ duæ, V. F. quod cum nō intelligerent, nec Vf scribi posse uiderent, Vt scriptum est. Senatusq; consulto, inquit, fieri posse) Vera lectio, ni fallor, Senatusq; consultum fieri poßit Item illud: P. Ro.) Scribetur integrè, Prætorum. Id quoq; non rectè: Nam si mihi nō dedisset eas, quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ, potuit supersedere.) Lego igitur, potui supersedere: uel, Potuit supersederi. ex sensu scilicet à dandis muneribus. id. n. est quod suprà dixit, Et mihi suo munere negocium imposuit. Aliaq; item Epistola: Turpe tibi erit, Pathiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus pluris, quas ipsas Curio mihi & alias Aphricanas decem donauit, ne putes illum: & reliqua. Ita factum iam nostra (puto) erit opera, ut Epistola hæc, quam antehac non secus multi uitarant, quàm nautæ (ut ille inquit) infames scopulos Acroceraunia, commodè omnibus legi

possit nec legi solum, sed etiam exactissime intelligi. Quod autem supra in senatusconsultis est, Autoritatesq; perscriptæ, nominaq; autorum senatusconsulti relata: significat id ipsum Cicero libro de Oratore tertio, fieri consuesse, cum de L. Crasso loqueretur. Per-
,, *multa (inquit) cum uehementissima contentione animi, ingenij, ui-*
,, *rium, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam, quam senatus*
,, *frequens secutus est, ornatissimis & grauissimis uerbis, ut Po. Ro-*
,, *mano satisfieret, nunquam senatus consilium Reipublicæ, neque fi-*
,, *dem defuisse, ab eo dictam, et eundem (id quod in autoritatibus pre-*
,, *scriptis extat) scribendo affuisse.* *Quod tantum abest ut Leonicenus ille interpres assequatur, ut nescio quid ex Liuio nugetur ineptissime, dum nihil nescire pudet.*

EMENDATVS CICERONIS LOCVS IN secundo de Officijs ad calcem. Cap. II.

Est eiusdem autoris celeberrimum & longe utilissimum mortalium uitæ opus de Officijs, animum pariter corpusq; exornans, si quis modo sequi præcepta uelit: quod ego cum lego (lego autem sæpissime) uideor mihi uidere uiri uitam ante oculos propositam: ita nihil his libris docet, cuius non ipse moribus exemplum præbuerit. ut facile rear, hominem, qui ita uixerit, deq; Deo, ut illo æuo, optime senserit, inter beatorum numerum collocatum, cœlesti illa fœlicitate perfrui. Hos libros eius scimus Plinio Secundo ita fuisse commendatos, ut ediscendos, non modo quottidie in manibus habendos diceret, etiam Imperatori. Ad secundi libri finem ita scri-
,, *ptum est: Sed de toto hoc genere, de quærenda, de collocanda pecu*
,, *nia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis uiris ad ian-*
,, *uæ medium sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola di-*
,, *sputatur. Vbi deprauatum Ianuæ uerbum, loci totius elegantiam eneruat, grauitatemq; Ciceronianam (ut ita dixerim) delumbat. pro eo nos Ianum reponimus. De Iano, & medio Iano, Horatius Flaccus:*

Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est. Inibiq; Porphyrio Acron,

ueteres

ueteres poëtæ interpretes. Idem autor alibi:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est,
Virtus post numos. hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt iuuenes dictata, senesq́;,
Læuo suspensi loculos, tabulamq́; lacerto.

Medium autem Ianum Acron in superiorem illum locum ea ratione dictum innuit, quod tres Iani statuæ essent, ad quarum unam, id est mediam, conuenire fœneratores solerent: & creditores, alij ad reddendum, alij ad locandum fœnus. Idem postea duos Ianos ante basilicam Pauli stetisse ait, quò fœneratores conuenirent. quod & Porphyrio confirmat, alterum scilicet in imo, alterum in summo: ut medium Ianum non statuam Iani, quæ media inter duas alias sita fuerit, sed quasi medium uici, qui sit inter duos Ianos, acceperit. De eodem Cicero in Philippica septima: Non possem sine risu dicere, L. Antonio Iano medio. Itá ne Ianus medius in Lucij clientela sit? Quis enim unquam in illo inuentus est, qui L. Antonio mille numûm ferret expensum? Ouidius: Qui puteal, Ianumq́; timet, celeresq́; calendas. Non ignoro, et Iani templum in foro Romano fuisse, iam inde à Pompilio rege conditum, quod à quibusdam Ianua belli nuncupatum sit, dicente etiam Vergilio: Claudentur belli portæ. Quod tamen haudquaquam uereor, ne tanti apud ullum emunctæ naris studiosum, quibus hæc scribimus, futurum sit, ut aut priorem lectionē seruare, aut nostram emendationem infirmare possit: assentiente præsertim, atq; etiam excitante ad eam Crasso nostro, extra omnē ingenij ac doctrinæ aleam facile posito. Iani templū

RESTITVTA EIDEM SINCERA LEctio, Lib. de Oratore primo. Cap. III.

AT tingimus nunc in eodem Cicerone locum ex iuris ciuilis penetralibus erutum, cuius nos quoque præsidio consequuti uidemur, ut mederi incurabili alioqui morbo possemus: simul ut autori doctisq́; gratificemur, tentemusq́;, quantum triennij cura in eo genere profecerimus. Quum essemus sex (ut arbitror) antè annis Patauij, studiorum eorum gratia, oratoriam his temporibus

publice

Romulus Amasæus.

publicè profitebatur Romulus Amasæus, uir (ut mihi tum est uisus) apprime doctus, & Latinæ facundiæ plenus: is Ciceronis de Oratore libros interpretari orsus, exquisitissimè in eo opere sensus explicabat. Ego, qui ab urbanioribus studijs auocari omnino nunquam quiui, quicquid suffurari temporis iuri ciuili dabatur, ad eum uirum audiendum totum conferebam. Inter legendum huc tandem uentum est, ubi se ille ita explicuit, ut diceret (quod usquequaq; ingenuũ, ut est, decuit) quum duplicem triplicemq; etiam interpretationem intulisset, nodum esse Iurisconsulto magis quàm Rhetore indigentem. » Verba sunt de Oratore libro primo: Quid in his paucis diebus? nón » ne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris nostri » sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde pe- » teretur, uetus atque usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies » fuisset? quod petitoris causa comparatum esse, nõ intelligebat: ut, si » ille inficiator probasset iudici antè petitam esse pecuniam, quàm es- » set cœpta deberi, petitor rursus quum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea non uenisset. Hæc Ciceronis uulgati codices. quæ si ita legantur, non modo interpretes humaniorum literarum, sed ne iuris quidem ipsi consulti ueteres (quid enim nouos putem?) sensum elicient, aut elegantem, aut omnino uerum. Ego igitur ita legendum censeo, particulatim subiectis, quæ mendosa duxi: » Vt illi, unde peteretur, uetus atq; usitata exceptio daretur, » cuius pecuniæ dies non fuisset. Quomodo enim dari poterat? aut quæ tandẽ est exceptio, cuius pecuniæ dies fuisset? Hæc enim sunt uerba ex formula exceptionis. Si enim dies fuisset pecuniæ, scilicet petendæ, actio petitoris uim suam habuisset, neque ulla exceptione eliderétur: neq; ea opus fuisset aut actori, cui nunquam datur exceptio: aut reo. quia cum dies uenisset, uel fuisset pecuniæ, non poterat excipere. nanque hic agitur de exceptione, qua excludi consueuerat is, qui antè diem egisset: quæ dubio procul non competebat contra eum, qui tum peteret, cum dies uenisset pecuniæ petendæ. » Sequitur: Quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat.) Hic quoque abundat (ni fallor) negatio: aut, si eam retinemus, aliter legendum

legendum eſt. nempe ſic: Quod petitoris cauſa comparatũ eſſet. non intelligebat, ut ſi ille inficiator, & reliqua. Tum hæc: Petitor, rurſus, quum peteret, exceptione excluderetur. Ita eſt in meo codice. At recentiores noſtri librorum impreſſores, ſatis illi quidem eruditi, correxerũt ita: Petitor, rurſus quum peteret, ne exceptione excluderetur. Verum hi quidem lapſi ſunt. eſt enim ſecludenda dictio Ne, alioqui totus corruit loci ſenſus. Hæc uero poſt: Quod ea res in iudicium antea non ueniſſet. Corruptum & hoc. quid enim exciperet? rem in iudicium antea non ueniſſe, quum uenerat? Itaq; legendum eſt: Quod ea res in iudicium antea ueniſſet. antea, ſcilicet quàm eſſet cœpta deberi, quod ſuperius dixerat. Subijciam nunc uerborum omnium iuncturam, totumq; locum ut ſcribi uelimus: declaraboq; etiam ita, exponamq;, ut non minus ueterani & docti literarum probent quod dixerim, quàm tyrones & rudes adhuc percipiant atq; intelligant. Quid in his paucis diebus? nonne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris noſtri ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, ut illi, unde peteretur, uetus atque uſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies non fuiſſet? quod petitoris cauſa comparatum eſſe intelligebat. ut, ſi ille inficiator probaſſet iudici antè petitã pecuniam eſſe, quàm eſſet cœpta deberi, petitor, rurſus quum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antè ueniſſet. Vel ita hæc poſteriora: Quod petitoris cauſa comparatum eſſet. non intelligebat fieri, ut ſi ille inficiator: et reliqua, ut propoſuimus proximè. ut ſit directa locutio, non per ironiam irridentis, ſed miſerantis potius. atq; ita ſanè locum hunc citat quodam loco Nonius Marcellus. Poteſt & ita ironicôs legi, Quod petitoris cauſa comparatum eſſe intelligebat, ut ſi ille inficiator, & reliqua. Poſſumus & ſic: Quod petitor ut cauſa caderet, comparatum eſſe non intelligebat. ut ſi ille inficiator: & reliqua, ut propoſuimus, emendanda. Eſt porro totius huiuſce clauſulæ ſenſus is: Creditor debitorem conuenerat, ut ſibi ſolueretur debita pecunia. ea in diem debebatur: quem tum, cum agebatur, negat debitor ueniſſe. creditoris aduocatus, cuius erat diem

Aa ueniſ-

uenisse probare, alioqui quoquo modo poterat, iudicio desistere contendebat, ut aduersario, id est reo daretur exceptio, cuius pecuniæ dies non fuisset, puto, ut transferret in eum probandi onus. quod cum ageret, non intelligebat homo ignarus, id petere, ut ipse causa caderet, si à reo probatum esset, diem nondum uenisse. Sciendum *enim est, cum quis ante diem peteret, ex lege duodecim tabularum causa cadere solitum. Verum non tum, cum ageret primo, causa cadebat: sed reus, qui sciret à se ante diem peti, postulabat à prætore exceptionem dilatoriam, cuius pecuniæ dies non fuisset. At rursus, quum uenerat dies petendæ pecuniæ, creditori petenti obijciebatur à reo peremptoria exceptio, ex lege duodecim tabularum, quod scilicet plus tempore, id est ante diem petisset, & rem ante diem in iudicium deduxisset. ideoq; pronunciari petebat reus, creditorem causa cecidisse. Itaq; bis agebatur. Vtramq; actionem duabus exceptionibus, altera dilatoria, quæ rem ad tempus soluendæ pecuniæ differret: altera peremptoria, quæ ius omne creditori adimeret, reus elidebat. Quæ omnia ueteris iuris dogmata, quamuis propè in desuetudinem abierint, apud Iustinianum tamen in Institutionibus ciuilibus sparsim notata extant. ea nos in medium attulissemus, si non fastidio parcendum fuisset. Hanc remur germanam esse* Cice*ronis scripturam atque sententiam: quæ, quia parum à multis percipiebatur, propter iuris scilicet ciuilis ignorantiam, iccirco fœdissimis mendis inquinata est. Nequaquam tamẽ tantũ nobis aut arrogamus, aut placemus, ut nihil præterea dici, quæri, atque excogitari uelimus. quin, si quis est, qui uulgatam lectionem decoro quopiam sensu tueri audeat, eum nos & audituri, & si probet, secuturi etiam sumus.* Nam Leonicenus *quidem ille eius operis interpres, ineptum nescio quid comminiscitur, nec quod ulla autoritate rationéue confirmetur. Inspiciendos aũt præcipue ueteres codices monemus, in quibus plurimum argumenti ad hæc situm est.* Miror, *quid in mentem uenerit* Nonio Marcello, *inficiatorem hoc loco falsi criminis obiectorem esse dicere: cum significet planè negatorem, qui inficietur uenisse diem soluendæ pecuniæ.*

Nonij Marcelli locus.

ILLVSTRATVS CICERONIANAE EPISTOlæ ſenſus. Tum de diuidendis in Senatu ſententijs notata quæpiam. Cap. IIII.

*R*Vrſus ad familiares Epiſtolas. quæ tametſi ſunt in manibus quotidie multorum, eorumq; doctorum hominum, quorundam etiam, qui ſe animi gratia ac ſtyli legere profiteantur, quos pudeat in his quicquam parum percipere confiteri: mihi tamen ſcatere mendis, & ſentibus ueluti quibuſdam eſſe obſitæ uidentur. Vel hic unus, quem ſubijciam, locus, cui non planus, lucidus, ac uel usq; in uiſcera notus? cui ſuſpectus unquam? cui dubius? à quo, ut alij multi hoc opere, aſteriſco ſignatus eſt? quum tamen ita, ut eſt, ſcriptum non ſit, qui ita interpretari poßit, ut ſententiam non dicam docto homine, ſed ſobrio dignam eliciat. Epiſtola ſecunda ad Lentulum hæc uerba habet uulgò ita ſcripta diſtinctaq;: Poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia diuideretur, quatenus de religione dicebat. Cui rei quia iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt de tribus legatis. frequentes ierunt in alia omnia.) Hæc nos dubio procul per peram diſtincta contendimus. Ita enim oportuit: Poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia diuideretur, quatenus de religione dicebat, cui rei quia iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt. De tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia.) Hoc ſenſu: Quod ad religionem attinebat, ut ſcilicet rex ſine exercitu reduceretur, Bibulo aſſenſum eſt, de tribus legatis minime. cum enim quaſi biceps eſſet Bibuli ſententia, quod ſcilicet una uerborum conceptione duo proponeret: unum, ut propter religionem & Sibyllina carmina rex ſine exercitu in regnum deduceretur: alterum, ut à tribus legatis poſtulatum eſt, ut ſigillatim de utroq; ſententiæ capite referretur. Non autem (ut accepiſſe uidetur Egnatius, quem uirum ſemper honoris cauſa nomino) diuideretur, id eſt ſeparatim à ſententijs Hortenſij & Volcatij referretur. Quid ſit diuidere ſententiam, quid iri in alia omnia, quibus uerbis Cicero, Cælius, Hirtius, alij utuntur, quamuis in ea re Gellij Aſconijq; autoritas præferatur, ego tamen appoſitißima Plinij iunioris uerba ſubnectam, quibus ſingulare exem-

plum continetur in hoc genere. Referebatur in senatu, inquit, de libertis Affranij Dextri consulis, incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. Hos aliquis: Ego (sed nihil refert) post quæstionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur, quarum sententiarũ tanta diuersitas erat, ut non possent esse nisi singulæ. quid enim commune habet occidere & relegare? non hercle magis, quàm relegare & absoluere. quanquam propior est aliquanto sententiæ relegantis, quæ soluit, quàm quæ occidit. utraq; enim ex illis uitam relinquit, hæc adimit. Cum interim & qui morte puniebant, & qui relegabant, unà sedebant, & temporaria simulatione concordiæ discordiam differebant: ego postulabam, ut tribus sententijs constaret suus numerus, nec se breuibus inducijs duæ iungerent. Et infrà paulo: Fingamus tris omnino iudices in hanc causam datos esse, horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolui, utrum'ne sententiæ duæ collatis uiribus nouissimam periment, an separatim unaquæq; tantundem quantum altera ualebit? nec magis poterit cum secunda prima connecti, quàm secunda cum tertia. Igitur in senatu quoque numerari tanquam contrariæ debent, quæ tanquam diuersæ dicuntur. Quod si unus atque idem & perdendos censeret & relegandos, num ex sententia unius & perire possent & relegari? num denique una omnino sententia, quæ tam diuersa coniungeret? quemadmodum igitur, quum alter puniendos, alter censeret relegandos, uideri potest una sententia, quæ dicitur à duobus, quæ non uideretur una, si ab uno diceretur? Quid lex? non aperte docet, diuidi debere sententias occidentis & relegantis? cum ita discessionem fieri iubet. Qui hæc sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis. Et paulo pòst. At enim futurum est, ut si diuidantur sententiæ interficientis & relegantis, præualeret illa quæ absoluit. Quid istud ad censentes? Quos certe nõ decet, omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod est mitius. oportet tamen eos, qui morte puniunt, & qui relegant, absoluentibus primum, mox inter se comparari. scilicet ut in spectaculis quibusdam

sors

ſors aliquem ſeponit ac ſeruat, qui cum uictore contendat: ſic in ſenatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecunda certamina: & ex duabus ſententijs eam, quæ ſuperior exierit, tertia expectat. Et mox: Optimum quidem, quod poſtulabam. nihilominus tamen quæro, an poſtulare debuerim? quemadmodum abſtinuit is, qui ultimum ſupplicium ſumendum eſſe cenſebat, neſcio an iure: certe æquitate poſtulationis meæ uictus, omiſſa ſententia ſua, acceſſit releganti: ueritus ſcilicet, ne, ſi diuiderentur ſententiæ (quod alioqui fore uidebatur) ea, quæ abſoluendos eſſe cenſebat, numero præualeret. etenim longe plures in hac una, quàm in duabus ſingulis erant. Tum illi quoque, qui autoritate eius trahebantur, tranſeunte illo deſtituti, reliquerunt ſententiam ab ipſo autore deſertam: ſequutiq; ſunt quaſi transfugam: quem ducem ſequebantur. Sic ex tribus ſententijs duæ factæ: tenuitq; ex duabus altera, tertia expulſa, quæ cum ambas ſuperare non poſſet, elegit, ab utra uinceretur. Hæc Plinius. quibus, & uerbis ipſis legis oſtendit, quid ſit, in alia omnia ire, & diuidere ſententiam. Fuit autem, ne quid omnino cogitationum noſtrarum abſcondamus, quum exiſtimarem, hoc loco accipi debere Diuideretur, id eſt, in eam diſceſſio fieret, quatenus de religione dicebat. diuidebantur enim ſenatores, ut qui aſſentirentur, in unam partem: qui diſſentirent, in alteram irent. quod omnino ne quidē adhuc improbo, alia ſcilicet diuiſione, quàm illa, de qua Aſconius noſq; ſuprà, ut utraque tamen in Bibuli ſententia locum habuerit. ſiquidem & in duo capita partita eſt, & prius caput diuiſum, id eſt, dijudicatū pedum ſententijs. Diſtinctionem aūt noſtram præclare uerba illa inſequentium literarum confirmant: Quod iam, inquit, illam ſententiam Bibuli de tribus legatis fregeramus. Diuidere ſententiam Cicero in Piſonem quoque: Diuiſa, inquit, ſententia eſt, poſtulante neſcio quo. In alia uero omnia ire, aut tranſire, aut diſcedere, eſt ipſum quoque apud multos. Cicero ad Plancum: Qui quū, inquit, gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur, frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit. Cælius: Nam quum de interceſſione referretur, quæ relatio fiebat ex ſenatuſcon

sulto, primaq; M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendũ cum tribunus plebis censebat, frequens senatus in alia omnia ijt. A. Hircius in suo commentario: Nam Marcellus, inquit, proximo anno quum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeij & Crassi retulerat antè tempus ad senatum de Caesaris prouincijs. sententijsq; dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris inuidia quaerebat, senatus frequens in alia omnia transijt. Addemus & illud ex eadem Epistola tanquam co-
» ronidis uice, quod in ea est: Proxima erat Hortensij sententia.
» cui Lupus tribunus plebis, quod ipse de Pompeio retulisset, intende-
» re coepit, antè se discessionem oportere facere quàm Consules. Obscurus enim locus, cum quòd ineptum id uidetur contra Hortensium dici, qui consul eo anno non esset: tum uero, quia ex Gellio patet, dictatori primò, inde consulibus, tum praetori, mox tribunis plebis consulendi ius fuisse: idq; ex Terentij Varronis autoritate. Inde subijcit Cicero: Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est, erat enim iniqua & noua. Caeterum ita accipi potest, ut dicat, non modò praeferri debere Hortensio, sed consulibus quoque ipsis tribunum. Nanque id non probo, quod quibusdam uiris eruditissimis placet, ea se ratione anteferri Lupũ uoluisse, quod de Pompeio, id est de Reipublicae principe retulisset. quãquam ne ipsi quidẽ ineptã eam rationem fuisse inficiantur, ueruntamen à Lupo propositam: quod mihi nõ uidetur. sed iure potius sui magistratus putasse, se prius discessionẽ facere oportere, quanquã id omnibus iniquũ, neq; ab ullo unquũ antè postulatũ iudicabatur. tametsi ea erat tribunatus autoritas, ut constet dictatore constituto hũc unũ magistratum suã in Reip. potestatẽ retinuisse. autor pluribus locis Plutarchus, alijq;.

VETERNVM CIVITATIS IN EODEM OPERE Veterano expulso conseruatũ, expositumq; contra quorundam sententiam aliaq; pluscula loca restituta. Cap. V.

NON possum hercle satis interdum mirari, tantam quorundam hominum indiligentiam, qui uel imprimendis, uel interpretandis-

pretandis autoribus ita sese supinè gerant, ut nihil pensi habeant, quo quidque modo aut scribatur aut intelligatur. In uno alteri ferendi, quod ingenue sibi occultum esse sensum confitentur. Quod si, qui operam suam bonis autoribus nauare pollicentur, ea uterentur cura, quam postulare id genus operis uidetur, profectò & longe emendatiores libros haberemus: et eo fieret, ut in pristinum restitutis tandem ueteribus autoribus, ad noua condenda ætas nostra animum adijcere posset. Quóusq; enim se ingenia polita atque subtilia in alienis libris conterent? Neque uero id ego in eam sententiam disputo, quod uel me suscepti operis pœniteat, uel quod alios ab eo nitar deterrere. finem cupio Annotationibus imponi: sed nondum expurgatis mendis, non cupio: quin ut nunc se res habet literaria, ualde eam scribendi rationem necessariam existimo. Quis enim speret, corruptis bonis ueterum autorum libris, boni quicquam operis à nobis edi posse: quum & res ipsæ, quæ discendæ sunt, & oratio, qua illustrandæ, non aliunde quàm ex priscorum monumentis, ijsq; integris, promi queăt? Itaque in id maxime opus incumbendum est, uincenda barbaries, male doctorum incuria, librariorum inscitia superanda ac fugăda est, bonis præsertim ingenijs iam ex omni Europa scatentibus. Sed ego ad rem redeo. Pius Bononiensis in annotationibus suis, quũ uersum Martialis, ut ipse putat, corrigeret, ut autẽ mihi uidetur, deprauaret, ac multa superfluè de ueterno in eum locum congessisset, impegit tandem in hunc quoq; scopulum, ut diceret, quod est in Ciceronis Epistola ad Cælium in hæc uerba: Erat in eadem ueteranus ciuitatis: quum Veternum uel Veternus legi oporteret, ut & in nonnullis est codicibus, & animaduersum ab alijs antè erat, mihiq; multo quoque ante prouisum, quàm in eius opusculum illud inciderem, aut aliorum annotationes, quæ locum hunc exponerent, eo sensu accipi oportere, ut pro ueterno Pompeium Magnum significari à Cicerone intelligamus. quod commentum inde multis ab eo conuestitur figmentis. Cuius uiri autoritas tametsi mihi, quum iam loci cum restitutionem tum sensum omnem planè excogitassem, exscripsissemq; etiam breuibus, ut soleo, me-

moriæ tantum meæ gratia; nihilo tamen magis à sententia sum dimotus. Con*firmatus quidem in eam opinionem, quam antè de eo uiro conceperã: hominẽ esse præcipitis peruersiq; iudicij, cuiq; haud ita facile assentiendum sit. Siquidem uno illo in capite, ut alia omittam, &* Martialem *peruertit, &* Iuuenalis *uersum optimè scriptum tentat infringere, & nostram hanc sententiam prorsus nihil assequitur. Quæro enim, si* Cicero *quasi segnem, inertem, ac cessantem* Pompeium, *pungere ac notare uoluisset, cur non honestius elegantiusq; multo ueteranum eum quàm ueternum appellaturus fuerit? Quod uerbum & ad militem pertinet, qualẽ se tota uita* Pompeius *præstiterat: & ad eum militem, qui iam emeritis stipendijs in ocio uitam deinceps agere destinet, & quasi rudem militiæ depositis armis accipiat. Cur igitur eorum se numero ascribit, qui ueternum reponant, ueteranum confodiant, ac legi uetent: quum sensum inuehat illi uerbo, quod delet, aptißimum atq; conuenientem? nisi quod prorsus iudicio caret, ferturq; tanto nouitatis impetu, ut quid agat, non intueatur. Idem non contentus uno loco testatam temeritatem suam reliquisse, gloriatur etiam in* Plautinis *commentarijs, hoc à se uno uisum, atq; prospectum, quasi non uel eo sit miserabilis, quod inuenti sui neminem sit unquam astipulatorem aut subscriptorem habiturus. Sed temperemus ab hominis ne de facie quidem noti contumelijs, cuius nihil præter uerbosam iactantiam horridamq; atque inconditam petulantiam mediusfidius odimus. Errorem eius turpiorem facit præceptoris* Beroaldi, *eruditißimi uiri, curiosa perpensaq; solertia in hoc scribendi genere, huiusq; etiam ipsius loci diligens explanatio. post cuius operam præteriri à nobis quoque poterat, si non & magno cum dolore spoliari à nobis nostra gloria nosipsos, qui idem quod* Beroaldus, *collatione locorum coniecturáque antè deprehenderamus, quàm ex scriptis ipsius (dijs testibus) didicissemus, ferremus, & confidentem* Pij *istius asseuerationem periculosam esse studiosis arbitraremur.* Scribendum igitur hac parte Veternum *pro ueterano, non dubitamus, &* pro ciuitatis Ro. *dißidia accipiendum. Id ita esse, perspicuum fecerint* Cælij *uer-*

ba ex epistola, cui per hanc à Cicerone responsum est. inquit Cælius: Consules autem habemus summa diligentia. adhuc senatusconsultum, nisi de ferijs latinis, nullum facere potuerunt. Curioni nostro tribunatus conglaciat. sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant, nisi ego cum tabernarijs & aquarijs pugnarem, ueternum ciuitatem occupasset. Hæc Cælius. Cæterum, quid impedit, & sequentes huius epistolæ clausulas quasdam interpretari, quando huc processimus?

Et congelasse (inquit Cicero) nostrum amicum lætabar ocio.) Amicum suum Curionem intelligit, quem semper suspectum nimio plus habuit, ut præcipitem ac temerarium Cicero: non Pompeium, ut isti rentur. Apparet id ex præscriptis Cælij uerbis: tum ex his, quæ scribit libro septimo ad Volumnium Cicero, de eodem (ut puto) Curione sentiens. Illa, inquit, quamuis ridicula essent (ut erant) mihi tamen risum non mouerunt. Cupio enim illum nostrum amicũ in tribunatu quamplurimum habere grauitatis. Extrema pagella pupugit me tuo chyrograho. De pagella hac nugatur interpres. Illud intelligit Cicero, quod ita est in Cælij literis scriptum: Quod tibi, inquit, suprà scripsi Curionẽ frigere, iam calet, nam feruentissimè concerpitur. leuissimè enim quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit. Hæc ille, qui paulo antè id significarat, quod & alijs monumentis proditum est, initio uidelicet tribunatus Curionem Cæsari aduersatum summopere, pòst in gratiam redijsse, cum maxima totius ciuitatis & imperij pernicie. Id etiam non omittemus, quod subijcit Cicero:

Cæsarem non defendit Curio. Pro nõ, & si quis id pertinaciter tueatur, reponi tamẽ posse uel Iam, uel (quod magis puto) nunc, ut sit cũ interrogatione, admirationeq́;, Cæsarẽ nũc defendit Curio? Sed & illud quis non uidet absurdum esse, quod hic est? Nam ita in uia putaui. Scribendum'que potius, ut in alijs quoque codicibus, quos miror ab Aldo Manutio solertißimo homine non sequutos: Nam, ita uiuam, putaui.) Contemnant hæc quidam, & leuiora existiment: ego his corruptis, perire candorem omnem &

sensus elegantiam omnino uideo. Non omittam id, cuius me admonuit uir doctissimus, mihiq; imprimis amicus, Io. Petrus Crassus, ciuis ac præceptor meus, quod antè legebatur, legiturq; etiam num uulgò: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitatis locupletare, in publicanis etiam superioribus lustris reliqua sine sociorum ulla querela conseruata, in priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Ciliciam.) ita legi oportere: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram, priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Cilicia.) quod & sensus ipse alioqui nullus ostendit, & similis in Epistolis ad Atticum sententiæ expreßio. Plutarchus de locupletatione ciuitatum mira prodidit. Suprà quoque,

Quoniam comicos martyr, ut opinor, accidit Phannia. accidit, emendauit Ludouicus Rodiginus uir doctus, quem nos ita probamus, si pro Quoniam, legatur Cui, uel Quoniam, sensu alioqui ineptißimo. quid sit autem Comicos martyr, idem ille satis explicat.

REPOSITVM CATVLLIANIS EPIgrammatis Cotonis uitiatum nomen, aut Catonis certe declaratum. Cap. VI.

Habemus præterea multa, quæ in Ciceronis opera, præcipueq; orationes atque epistolas nō indigna lectu notentur: sed & ea longiorem operam desiderant, & nos uarietatis iucunditate detinere lectorem uolumus. Quare ad lepidißimi uatis Catulli conterranei nostri (ut ille inquit) Epigrammatôn libellum emaculandum quadantenus accedimus. Qui tametsi à multis adiutus, fultus, concinnatusq; superioribus annis est, neque ferè doctorum quisquā fuit, qui in hoc ueluti mangonio uersati sint, qui non docti poëtæ opusculum aliquo auxilio subleuarit: superfuere tamen et nobis multa, quæ castigaremus. Neque uero committendum est, ut ab externis nauata autori opera, à nobis, qui & Veronenses aliquando ciues fuimus, & in ea urbe literarum rudimenta percepimus, intactus inaditusq;

à diutusq́; penitus relinquatur. Epigramma eius est, ut uulgò inscribitur, ad Catonem. cuius initium:

O rem ridiculam, Cato, & iocosam.

In eo menda latet, quam tamen interpres quidam non præterijt indictam. ait enim, ideo non uideri sibi esse ad Catonem scriptum Epigramma, quod is non fuerit æqualis Catullo, id est eodem tempore. Quod tametsi inscitè dicitur, cum & ad Cæsarem ac Ciceronem scripserit, multisq́; præterea argumentis conuinci possit: sed cum maxime æqualis Catoni fuerit, quid causæ est, quod de re ridicula ita maxime ad Catonem scribat? aut quid censemus fuisse Catullo cum Catone familiaritatis, homini faceto cum seuero, leui cum senatorio & graui? Dicat fortasse aliquis, nomine Catonis quemlibet tetricum & iniucundum hominem intelligi: quasi Catullus aduocet ad ridendum seueros omnes, ut pote quorum etiam risu dignam rem habeat, quam narrat. Sicut est apud Martialem quoque, primo Epigrammatôn libro. Sed Catullus certum hominem appellare uidetur, cum dicit:

Ride, quicquid amas Cato Catullum.

Ego itaque pro Catone Cotonem legendum censeo. nam & facilis fuit immutatio: & uerisimile est, fuisse magnam Catullo cum Cotone poëta sui temporis (ut Ouidius eum appellat) leui, & eius per- Cotto poëta similì coniunctionem familiaritatemq́;. nam & ad Cornificium suprà, et Caluum, poëtas eiusdem æui scribit, quibus cum arcta often dit se consuetudine uixisse. Tuo Catullo, inquit, et tuum Catullum. Quam sententiam comprobare & illud uidetur, quod ait:

Dignamq́; auribus, & tuo cachinno.

Quasi ad iocosum hominem scribat. quid autem contra alienius à Catone quàm cachinni? cum, si Plutarcho credimus, præter ea, quæ plurima tota uita præstitit, seueritatis maximæ argumenta, uel à puero ita ad risum tardus fuerit, ut ore tamen usq́; ad risus significationem renideret, idq́; perrarò. Denique frustra ducimus, in re notissima luctari, cum exemplar seueritatis semper & habitus sit, & prædicatus. De Cotone uero Ouidius Naso, in enumeratione

lasciuorum poëtarum, inquit:

Et leue Cornifici, parq; Cotonis opus.

Quod si, ut quibusdam uidetur, apud Ouidium *eo loco* Catonis *legi placeat, in quo non magnopere contendemus, quod ea res & leuior, nec satis certa sit,* Catonem *hic quoque retinebimus. ac ne lusisse operam omnino uideamur,* Catonem *hunc non dubitamus eundem esse, qui apud* Ouidium. *Eum sunt qui* Valerium Catonem *accipiant, de quo* Tranquillus *in libello de Claris grammaticis, siuè quicunq; ille tandem est autor operis eius, fuisse libertum ex* Gallia *Burseni cuiusdam, qui licentia Syllanorum temporum patrimonio exutus grammaticē docuerit, uisusq; sit peridoneus præceptor, maxime ad poëtas tendentibus, ut appareat his uersiculis:*

Valerius Cato.

Cato grammaticus latina Scyren,

Qui solos legit ac facit poëtas.

Scripseritq; præter grammatices libellos, etiam poëmata, ex quibus præcipue probata fuerit Lydia *&* Diana. *cæteraq; de eo apud illum autorem fusius tradita.* Non ab re est, *Catonem hunc decurionem (ut uideri potest) à nobis haud ita magno sumptu ornatum, additamento quopiam à leuitate tueri.* Iuuenculorum *igitur in* Epigrammate *ad puerum, qui dedisset* Furio *delicias, multo significantius lectum iri putamus, quàm* Iuuentiorum: *quamuis maxime puerum hunc* Iuuentium *fuisse interpretemur, cui alijs etiam uersiculis blandiatur. Tanto enim sic lepidius est, atque etiam efficacius, quanto præstat, totam* Romanam *iuuentutem, quàm unam* Iuuentiam *pulchritudine anteire. Verbo eius primitiuo, ut* Grammatici *dicunt, usus* Plinius, *uel de gallinis loquens:* Ex his (inquit) *iuuencæ plura quàm ueteres. usus* Horatius: *Te suis matres metuunt iuuencis. quo loco* Porphyrio *apud eum his uerbis notat:* Iuuenci *ergo non tantum boues dicuntur, sed homines. quamuis in usu sit, ut non nisi per diminutionem iuuenculos dicamus.* Acron *inscite per metaphoram putat dictum. est enim iuuenci proprie generale uerbum, translatum uero ad boues.* Quin *idem ille* Porphyrio *eo loco,*

Læta quod pubes hedera uirenti,

Gaudeat

Gaudeat pulla magis atque myrto.

Per allegoriam (inquit) hoc signat, iuuenculos iuniores mulierculas quærere. Ex nostris, id est recentioribus, Pomponius Lætus non par ni autor nominis, in Compendio *quod* Romanæ *historiæ ad* Franciscum Borgiam *scripsit, ita de* Constantino Maximo: *In ea (inquit) expeditione iuuenculus plus, quàm promitterent anni, gessit. Est pro nostra sententia illud,* Pomponius Lætus.

Non quot sunt modò, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac alijs erunt in annis.

MATRVCINI INDIDEM EXPVNCTAM uocem, Marrucini inuectam. Idq́ue qua ratione, multaq́ue præterea castigata loca. *Cap.* VII.

P*Ersimile est in eodem autore mendum in Matrucini nomine, eo* Epigrammate *quo repetit ab* Asinio Pollione *subtractum sibi linteum in cœna, hoc initio:*

Matrucine Asini manu sinistre,
Non bellè uteris in ioco atque uino.
Tollis lintea negligentiorum.

Id uerbum, quia quibusdam futile ac nihili est uisum, deletum eiectumq́; ita est, odio puto obscuritatis, ut ne ullum quidem uestigium superesset. Scriptumq́; pro eo est,

Inter cœnam Asini manu sinistra.

Quod ego tamen suppositititium arbitror, cum subijciat, In ioco atq; uino: *quod scilicet significat, inter cœnam. Quum igitur neutrum probem, facile adducor, ut una mutata literula, quod superiore quoque loco uel factum uel tentatum est, sua uerbo integritas, suusq́;* Vati *nitor reddatur. Cupio enim, idq́; testatum cunctis esse uolo, in hoc scribendi genere, quàm minimum de usitata lectione mutari, si modo reduci ad integrum sensum ea leuitate oratio queat. Alioqui, si pro cuiusq; libidine integra uerba clausulasq́; etiã totas expungi, substituiq́; pro his alias permittimus, uerendum est, ne hæc effusa nimis laxaq́; licentia in perniciem autorũ cõuertatur.* Lego igitur;

,, *Marrucine Asini manu sinistra.*

De Marrucinis Italiæ populis nemo non aliquid legit, ex quibus oriundos Asinios fuisse, uideor mihi (ni fallor) ex autore Liuianæ Epitomæ libro septuagesimo tertio collegisse, apud quem his uerbis scriptum inuenimus: ,, *Sed & C. Marius Marsos prælio fudit, Hirnio* ,, *Asinio Marrucinorum prætore occiso. Ex quibus facile colligas, Asinijs inde Romæ cognomen Marrucinis mansisse. aut si id parum constare uidetur, toti scilicet generi cognomen id inditum: eo gentis nomine poëta Asinium hunc appellarit, quasi parum dignum Romano genere ac nomine, qui tam insulse cum conuiuis iocaretur. Erat quidem in quibusdam quoque impreßis codicibus integra ea dictio: sed ijs ita ueteribus, ut præ nouis his in desuetudinem abierint, quasiq; exautorati sint. nec apparebat ulla certa ratio lectionis: ideoq; uariatum. quare hoc nobis adnotare libuit, ne deinceps ambigeretur. Addo, in eodem Epigrammate legi debere, ut alijs quoque recte uisum:* ,, *Hoc falsum esse putas, fugit te inepte,*

Quamuis sordida res & inuenusta est.

non, ut Interpres, falsum. Honesta autem locutio, fugit te, absolutè positum, quali & Varro usus: Vide, inquit Atticus, ne te fallat. plenum est, quod antè dixit Catullus, Fugit me ratio. Quamuis autem, est quantumuis. idem Varro: At Q. Lucinius senator (inquit) homo quamuis humanus & iocosus. Adijciamus sanè & alia quæpiam, inter legendum (ut soleo) cursim notata, nec iudicio nostro studiosam iuuentutem priuemus. In Epigrammate, quod est in Mamurram ac Cæsarem, legitur uersiculus:

Paterna primum lancinata sunt bona

Tu, si me audis, ut ratio metri constet, leges,

Vt secunda etiam, tertiáq;,

Paterna prima lancinata sunt bona.

Lancinandi uerbo Plinius quoque usus: At hi, inquit, in ipsa nare caput condunt, pariterq; spiritum præcludunt, & mollißimas lancinant partes. Quid illud in tertio Epigrammate, in quo passeris mortem deflet? Vide num ita, ut est scriptum, legere uelis:

Nam

Nam mellitus erat, suamq; norat
Ipsam tam bene, quàm puella matrem. An, ut ego puto:
Ipsa tam bene quàm puella matrem.

Nam metri quidem ratio, sæpius in eo genere ab eo spreta, nihil obfuerit. Obiter id quoque testabor, me haudquaquam Politianum in interpretatione Catulliani passeris sequi: sed eos potius, qui auiculam in delicijs puellæ habitam contendunt, ut Hiantidi Stellæ columbam, eo potissimum epigrammatis Martialis argumento, quo nihil aptius refellendo Politiano excogitari potest:

Accidit infandum nostræ scelus Aule puellæ,
Amisit lusus deliciasq; suas.
Non quales lepidi plorauit amica Catulli,
Lesbia delicijs passeris orba sui:
Nec Stellæ cantata meo, quam fleuit Hiantis,
Cuius in Elysio nigra columba uolat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna mouent.
Viginti puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

Nam & alioqui Hermolaus in Pliniano Corollario eam sententiam primum Festo autore adiuuans, haud ita dum tamen recipit. Nos adijcimus non leue Plinij iunioris testimonium, qui ad Mamilianum in castra scribens de uersiculis suis & lusibus: Tu, inquit, passerculis & columbulis nostris inter aquilas uestras dabis pennas, si tamen et tibi placebunt: si tantum sibi, continendos cauea nido'ue curabis. Existimabis præter hæc Lector, quod est in quarto Epigrãmate sic:

Et inde tot per impotentia freta,
Herum tulisse, læua siue dextera
Vocaret aura, siue utrunq; Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem:

Cum habeant exemplaria alia pro, Vtrunq;, utcũq;, num legi poßit,

Vocaret aura, siue utcunq; Iuppiter
Semel secundus incidisset in pedem.

Neque

Neque dum tamen usquam legi Semel, sed coniecturam tamen sequor. alioqui Simul legendo, nō uideo quomodo aliter accipi possit, quàm pro simul atq;, id est, quū, postquā, ubi primū: sicut Horatius,

Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum,

& alibi sæpissime. Si uero Semel legimus, aperta sententia est. Apponemus & de nautico pede nonnihil, ut inde appareat, quæ maxime sequenda lectio. Lucanus: Et flexo nauita cornu

Obliquat leuo pede carbasa. Idem: Quo nūc pede carbasa tendi. Cicero libro de Oratore tertio, ubi de translatis uerbis tractat: Atque hoc in genere (inquit) persæpe mihi admirandum uidetur, quid sit, quod omnes translatis atque alienis magis delectantur uerbis, quàm proprijs & suis. nam, si res suum nomen & proprium uocabulum non habet, ut pes in naui, & reliqua interiecta, necessitas cogit, quod nō habeas aliunde sumere. Plinius libro secundo: Iisdem autem uentis, inquit, nauigatur in contrarium prolatis pedibus, ut noctu plerunque aduersa uela concurrant. Plautus remos nauium pedes dixit, si Nonio credimus. Indidem est:

Neq; ulla uota littoralibus deis
Sibi esse facta, quum ueniret à mari
Nouissime, hunc ad usque limpidum lacum.

Quum legeretur Nouissem, reposuit Sabellicus Nouissime: quod aliter non exponetur rectè, quàm proxime. quasi dicat, quum iam esset uetus. Ego uideo, Nouissimo elegantissime mutari: ut sit Nouissimo mari, quod magnam habet emphasim. Littorales dij sunt, quos Vergilius ostendit:

Votaq; seruati soluent in littore nautæ,
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Quem Græci Palæmonē, nostri Portunum dixere. Sanè miror, quid eidem Sabellico uenerit in mentem, paulo pòst, ubi recepta lectio habebat:

At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur, ære comparasti
Ad lecticam homines.

Vt pro Homines, Hominum scribi oportere dixerit, magno metri sensusq; dispendio, ut iam de eius ipsius codicis fide suspicer, ne sit ab impressoribus quocunq; modo corrupta. Iam extremum illud uide, quum omnes hactenus legerint in eodem Epigrammate,

At mi nullus erat neq; hic neq; illic:

nos malimus, quasi nec ex paterno neq; prouinciali ære significet,

At mi nullus erat, neq; hinc neq; illinc.

DE NEMAEO PVERO APVD EVNDEM AGITATA quæstio, aliterq; legi debere ostensum, simul & alia disceptata. Cap. VIII.

NEqueo à iucundißimo eodemq; doctißimo Vate facile abstrahi, & aliò properantem me reuocat retrahitq; inusta nitidißimis uersiculis subinde nota, occursantq; undiq; in paruo opere cicatrices magnæ fœdæq;, quæ me ab eo diuelli nō sinant. Vix enim credi potest, quantopere uicem tantorum hominum doleam, grauiterq; feram calamitatem immeritißimis ingruentem, opprimentemq; dulcißimos ab his nobis ingenij fructus relictos. Quare nitamur & hæc, obducta iam quidem illa, sed male curata ulcera, & putredinem in dies contrahentia sanare, si poßumus, in Catullo. Epigramma ad Aurelium Catulli sodalem uulgò ita circumfertur:

At qui, si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Nemæus puer & sitire discet. Vel, ut alijs placet,
Næ meus puer & sitire discet.

Nos neutrorum in postremo carmine sententiam probamus, certis subnixi rationibus. Nemæus enim puer, quasi Hylas, qui Herculi amatus sit, à quo Hercule leo ex Nemea sylua prostratus & occisus sit, quin accipi poßit, & longe nimis petita significatio, & uerbi deriuatio ostendunt. Facit enim Nemea Nemeæum, ut Tegea Tegeæum: quod & in Lucano, eo uersu, Nemeum Phœbe leonem, recte (quantum arbitror) à Sabellico emendatum est, ut Nemeæum quadrisyllabon legeretur. Sicut & Maro dixit, Adsis ô Tegeæe fauens. Alteram illam lectionem refellit usus eius uerbi, quod est Næ, *Lucani locus.*

quũ affirmantis est. Semper enim in eo significatu praecedit primitiuum pronomen, ut adnotauit oculatissimus in omni doctrinarum genere Io. Petrus Crassus, meus & ciuis & praeceptor: ut, nae tu, nae ego, nae illi, quod usu Ciceronis aliorumq; doctorum comprobatur autorum, nam nec apud Terentium eos sequor, qui, Faciunt'ne intelligendo, ut nihil intelligant: nae, certe accipiunt: magisq; est, ut interrogatiue legi debeat. Deniq; honestissima ea dictio, raro in sermonem uenit, ac certis quasi locis accommodatur. Quid igitur est? aut quid hoc loco reponemus? nempe id quod est à nemine animaduersum:

Io. Petrus Crassus.

Niraeus puer, & sitire discet.

Id est, pulcherrimus, & Nireo Homerico similis, tanquam si Ganimedaeum dixisset. in qua sententia ita iam diu sum, ut nihil aliud uel à Catullo esse scriptum, uel à nobis recte legi posse autumẽ. nam ab his nominibus, quae in Eus diphthongon exeunt, deriuatiua nomina penultimam producunt, & in eam formã desinunt, ut Theseus Thesaeus, Orpheus Orphaeus, Nireus Niraeus. De Nireo Porpertius;

Nirea non facies, non uis exemit Achillem. Ouidius,

Sit licet antiquo Nireus adamatus Homero:

Horatius quoq; & alij affatim meminere. Eleganter igitur Catullus Homerici operis alioqui studiosissimus, puerum suum Niraeum dixit: idq; permagnam habet emphasim. De Ploxemo, siue Ploxeno, scio quid interpretes ex Quintiliano Festoq; annotarint. mihi id ualde probatur, ut sit Ploxenũ uerbum eo sensu acceptum, quo et à Varrone, qui in Rei rusticae libris, ubi de terendo frumento agit, instrumentum ei operi ex assibus dentatis cum orbiculis, Ploxenum punicum appellari tradit. nam & Catullus ait:

–Hoc dentes sesquipedales
Gingiuas uero Ploxeni habet ueteris.

Nec me ualde mouerit in tam raro uerbo Quintiliani autoritas, à Catullo inuentum prodentis. quin et eum hominem fuisse arbitror, quiq; decipi, falli, obliuisci lectorum posset: quum, ut est in prouerbio, bonus interdum dormitet Homerus. Nam ne Donatus quidem, Terentianus interpres, Ciceronis autoritatem est reueritus, quin cum

cum errasse diceret, qui obsequij uerbum à Terentio primum dictū asserat: quum in Plauti fabulis multo antè conscriptis id deprehenderit. Similiq; errore Plinius Secundus ab Hermolao lapsus arguitur, in suminis dictione, quam ille à Publio mimorum poëta excogitatam dicat, quum sint ea Plautus Lucillius'que etiam antè usi, nisi uero fuerit his antiquior Publius. Deniq; periculosum est, profiteri uerbi inuentorem, eiusq;, qui plurimū memoriæ suæ tribuat. Quam obrem non uerebimur (præfata tamen uenia) leuiorem hanc Quintiliano notam impingere. Tametsi fieri etiam perbelle potest, ut quū sint hi libri à Varrone uetere iam, et (ut ait) sarcinas colligente scripti, Catullus prior uocem in usum scriptumq; deduxerit. Mendosum est, ut puto, in eodem carmen id, quod ab A. Gellio defenditur contra cuiusdam impugnationem:

Cicero à Donato notatus.

Quintilianus notatus

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam
De me: dispeream, me nisi Lebia amat.
Cui ego, quasi eadem, totidem mox deprecor illi
Assidue: uerum dispeream, nisi amo.

Nec tamen ualde placet, ut legatur, quemadmodum supponitur à quibusdam:

Quo signo? quasi ego totidem mox deprecor illam
Assidue. uerum dispeream, nisi amo.

Id enim rancidulum est, & subineptum. Nec succurrit tamen, quid maxime reponi uelim, nisi quod Quasi uerbum, omnino ab imperito inculcatū arbitror. Videndum tamē, num pro eo uel Quæro, uel tale aliquid admitti possit. Distinctione certe iuuandus uersus. nam, ut suprà dixit, duplici colo, Mi dicit semper male, nec tacet unquā De me: ita hic quoq; duobus orationis membris rem exprimit, quod & alioqui Eadem, totidem, satis indicant. ut lecturi simus ita non omnino insulsè, nec ut mihi tamen satisfaciam:

Cui ego quæro eadem, totidem mox deprecor illi
Assidue: uerum dispeream, nisi amo.

Quod si recipimus, quum sit deprecor, ualde precor, ut ille putauit, quicunque in Lycio ambulans Catullo male dixit: non erunt fri

gidi uersus, sed uel facetissimi atque elegantes, lepidiq;, nec sale carentes. nec Gellij defensione ualde opus erit, qui sane nullum satis simile, ut ego existimo, exemplum in usu uerbi adinuenit. Significat hoc loco Catullo deprecor id, quod aptius propriusq; Imprecor, ac significantius dixisset. Quod si & obloquutorem illum non omnino ineptissimum, & Gellium acutum propugnatorem fingere uolumus, ita lectum illis existimare necesse est, quantum ad hanc tantũ clausulam scilicet attinet,

Mox deprecor illam:

Non, ut est nunc, illi. Existimauit enim censor ille Catulliani carminis, quum sic legisset, Catullum ita sensisse, ubi primum Lesbiæ male dixisset, confestim pœnitentia actum deprecari illam, id est blandioribus uerbis totidem orare, ut parcitum loquacitati amatoris uellet. Quod si hoc dicere tentasset Catullus, sine dubio frigidius Epigramma confecisset. Recte igitur à Gellio defensus. Sed & in Epigrammate, quod facit ad Coloniam, oppidum (ut pleriq; rentur) meum, eo uersu,

In fossa Liguris iacet separata securi:

Nequaquam admitto ex Politiani sententia, Expernata: eà maxime adductus ratione, quod à cæterorum metrorum quantitate discrepet id uerbum, Separata uero ad unguem conueniat omnibus Liguris. hinc Vergilius, Assuetumq; malo Ligurem: id est labori, inquit Seruius.

IVVENALIS LOCA QVAEDAM ALITER uel legi uel exponi oportere, quàm sit factũ hactenus. Insibiq; interpretum lapsus, Politianiq; etiam. *Cap.* IX.

Superuacaneum fortasse quibusdam uideri possit, post tot commentaria, extrariasq; etiam interpretationes annotationesq; quippiam in Iuuenalem noui polliceri. Et tamen non dubito, quin multa in eo adhuc uel ad integritatem autoris uel sensum desiderentur. Vel unum illud, quod ipso initio, primoq; adeò ipso carmine occurrit, quis nondum, tot excogitatis sententijs, recte interpretatum

tum arbitretur? ut est,

Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam?

Reponendi mille significata Domitius, Merula, Valla, *cæteri adinuenerunt, nec tamen unum aliquod eligunt, cui respicere poëtam uoluisse confirment: tantum uagi consulere in medium uidentur.* Ego pro certo *affirmare ausim, id quod, ubi primum intendere in eam rem animum occœpi, in mentem uenit, nihil aliud significare hoc loco* Reponam *absolute positum, quàm uicem reddam: & cum sequenti uersu coniungendũ sensum, ut sit,* Nũquam ne reponã,

Vexatus toties rauci Theseide Codri?

Id est, nunquam ne ipsum Codrum, *qui assidua prolixi carminis recitatione & mihi aures caputq; obtudit, & sibi uocem ita deturpauit, ut irrauserit, inuicem uexabo? quasi dicat, maxime. est enim interrogatio, affirmatiuam exigens responsionem.* Reponere *enim inter plurima hoc quoque significat, simpliciter præsertim dictum, uicem scilicet reddere. unde* Iuuenalis, *seipsum extenuans, redditurum se uexationem poëtis se iampridem uexantibus per interrogationem pollicetur. Idem uerbum eadem ui positum à* Cicerone *ad* Lentulum *proconsulem, quum ait: Cur autem laudarim, peto à te, ut id à me, ne ue in hoc reo, neue in alijs quæras, ne tibi ego idem reponam, quum ueneris, tametsi possum uel absenti. recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miseris, nec hoc pertimueris.* Profecto tibi Lentule *(inquit* Cicero*) reponam, cum Romam ueneris, te que pari molestia afficiã, ut cogam mihi exponere, quo consilio eos reos laudaueris, uel ex* Hispania *prouincia* Romam *laudatione missa, qui tibi antea fuerant infensi, reconciliata gratia. In quo tamen loco interpres miserè labitur. Sensum hunc subolfecit ferè* Valla, *licet incertis titubans plantis, postremoq; etiam alio transfugit. ait enim primò:* Reponam, *scribam, recitabo, referam uicem, reddam his qui mihi male recitarunt: id recte. Paulò infrà idem sic:* Repono, *scribo.* Horatius, Victor *honoratum si forte reponis* Achillem. *ita & hic exponendum, inquit. Viden, ut incertus in sexcentas trahatur sententias? neque est præter* Ciceronis *ullum, aut ra-*

Reponere.

rum, tam ſimile in eo uerbo exemplum, quantum ad hanc diem notarim. Sanè Codrum hunc (ni fallor) Plutarchus quoque intelligit, quum in uita Theſei ſic ſcribit: Nam, quæ de Amazonum motu & inſultu in Theſeum facto ob nuptam ſibi Phædram conſilio Antiopæ & aliarum unà ſecum iniurias perſequentium, deq; clade et interitu ab Hercule illis illato Theſeidos autor literis prodidit, ea commentis fabularum ſimiliora quàm ueritati uidentur eſſe. nec mirum, quum in Ciceronis uita eum quoque Iuuenalis uerſum citet:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Impune. Hæc inſcitia interpretes in ſequentibus quoq; uerſibus, Impune, perperam accipere coëgit, neque enim ſignificat, paſsim, uulgò, ut iſti ſomniarunt, per deductitias ambages à uero ſenſu aberrantes: ſed proprie, ſine pœna. hoc ſenſu: Ergo alius totas quotidie fabulas recitando uexauerit me obtuderitq;, & id à me impune feret? neq; eum pari audiendi me pœna afficiã? id enim indignatur poëta. Ibidem,

» Tyrias humero reuocante lacernas:

Quidam ad pondus referunt. Tu uide, ne id potius ſpectarit, quod & Horatius in Satyris taxat:

Malchinus tunicis demiſsis ambulat.

Et Acron interpres: Qui delicati (inquit) haberi uolebant, tunicis demiſsis ambulabant. Tibullus quoque, quum molles & delicatos ſemoueret:

» Tunc procul abſitis, quiſquis colit arte capillos,
» Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.

Iulij Antonij Diomedeæ. In eadem: Aut Diomedeas, &c. Iulium Antonium poëtam Augusti temporibus, ſcribit Acron Horatianus interpres, Diomedeas duodecim libris heroico carmine perſcripſiſſe. Ibidem nemo ex tot interpretibus ſumptum illud ex hiſtoria monet, quod ſatyræ morſu dignum uideatur:

» Exul ab octaua Marius bibit.

Plutarchus in Apophthegmatis, refert Cabriam unà cum Iphicrate proditionis accerſitum, frequentantem gymnaſia, ac conſueta hora prandentem, à Correo reprehenſum reſpondiſſe, ſe quidem

unctum

unctum pastumq́; necatum iri, ipsum uero ieiunum ac squallidum. At Marius uel ante horam prandebat, si quidem (ut Martialis est au tor) Imperat extructos frangere nona toros. Ne illud quidem recte expositum in eo uersu,

Sed, cum summus honos finito computet anno,
Sportula quid referat:

ab his, qui summum honorem uel nobiles, ac diuites, etiam libertinæ conditionis, uel prætores intelligunt tantũ. sed tribunos quoq; usq; ad Consules notat, quod & Martialis taxat eo Epigrammate,

Cum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
Manè salutator limina mille teras,
Hic ego quid faciam? quid nobis Paule relinquis?

& reliqua in eandem sententiam. Quid illud? non ne corruptum? nec tamen ab ullo animaduersum in eadẽ satyra? Vnde illa priorũ,

Scribendi, quodcumque animo flagrante liberet,
Simplicitas? cuius non audeo dicere nomen.

Sicq́; mutandũ, uel meo periculo, sensu alioqui aut nullo, aut inepto:

Cuius nunc audeo dicere nomen? quasi diceret, nullius. Vt cele berrimum in eodem carmen, repetitumq́; integrius legetur, itáq; scri ptum apud Lactantium Firmianum primum inuenimus:

Nullum numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos Facimus fortuna deam, cœloq́; locamus,

non, ut deprauatum est, paßim'que habetur contra sententiæ decorem omnem:

Nullum numen abest.

Politianus uero autori quidem uerbum Cacoëthe restituit, septima Satyra in eo carmine,

Tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthe, & ægro in corde senescit.

Idem tamen communi fato (quando nulli uni omnia dij dedere) parum id ex re est interpretatus. neque enim malam consuetudinem poëtæ significat, sed ulceris genus, autore pluribus locis in medicinæ libris Plinio, & duritias quasdam. ad quod morbi genus allusisse

poetam magis est ut arbitremur, quoniam insanabile & ægro corde adiectum est. nam idem autor Plinius, *insanabilem morbum propè significat libro* XXIIII. *cap.* X. *ubi est in hæc uerba de hedera: Illinitur decocta in uino omnium ulcerum generi, etiam si cacoëthe sint. Sed & libro* XXVIIII. *cap. ultimo: Sanare ulcera tradunt aliàs insanabilia, strumas, panos, diebus uiginti uno impositas, percussa, contusa, cacoëthe, scabiem, furunculosq;.* Celsus *ita hoc ulcus definit: cum ipsum quidem ulcus pressum est, sed quæ circà sunt intenduntur & intumescunt.* Galenus *quoque eodem uerbo usus. ut iam dubitari non oporteat, nec* Politiani *autoritatem tantis uiris præferri: quem tamen haudquaquam sua laude fraudandum ducimus, ac magnam potius inuenti habendam gratiam. Iam illa, nũ prætereunda, licet leuia? nequaquam, cum sint uel in* Manutianis, *quos sequimur, probatissimosq; scimus, codicibus deprauata:*

Cacoëthes ulcus.

Semodio scobis hæc emendat seruulus unus. Tu legito,
Semodio scobis hæc emundat seruulus unus.

Sicut et paulo infrà, Gustauerit, non gestauerit. Vsurpat *emundandi uerbum* Columella *quoque: Quædam pluuijs diebus, ut bouilia & ouilia debent emundari. Non deerant præterea quæ notaremus, sed quæ tamen in aliud tempus reseruare maluerimus, cum ne nimiũ crescat* Decuria, *tum quia laborũ nostrorum gustum quendam tantum præbere doctis hoc libello, non fructus uoluimus.* Non *prætermibimus tamen, cum dixit* Iuuenalis, Ceruicibus *æquat*
Herculis, *Antæum procul à tellure tenentis:*
Ad Polycleti *statuam, quæ* Romæ *erat, allusisse. de qua sic* Plinius: Polycletus *fecit* Herculem, *qui* Romæ *sit,* Anthæum *à terra sustinentem.*

DOMITII CALDERINI IN MARTIALEM errata quædam, declaratusq; uere Autor pluribus locis. Cap. X.

ASciscamus *sanè in decurionem nostram &* Martialem, *bellum in primis hominem, iucundum, facetum atque urbanum, & qui totam* Decuriam *salibus suis delectare possit. In eum extant*

extant Domitij Veronensis Calderini præclari in literis uiri, cuiq; haud facile parem in eo scribendi genere reperias, commentaria, scite & mira breuitate conscripta: in quibus, si fateri uerum libet, permulta recondita alioqui & abdita autoris sensa diligentissime perscrutatur, ita tamen, ut cæcuciat nonnunquam atque labatur. quod scilicet necessariò euenit homini alioqui nato, in tanta antiquitatis obscuritate, tamq; multis propositis, seseq; in aliena opera exercenti obijcientibus dubijs. ut magis laude dignum sit, tam multa recte exposuisse, quàm in aliquo interdum esse deceptum, reprehensionem mereatur. Itaq; Lucillij carmen in sua transfert ita Martialis: Domitius Calderinus.

Et, tibi Mæonio quod carmine maius habetur, ««
Lucilli Columella hic situs Metrophanes. ««

Vbi Metrophanem Columellam nomen esse serui proprium Domitius putat: Lucilli scilicet seruum, inquit. quasi uero Columella seruum non significet. Veteres enim Columellas dixere, maioris domus seruos, a columine. unde columna dicta, sustentatio. Mirorq; uel maxime, uirum tantæ lectionis hoc apud Donatum in Commentario super Phormione Terentiana non legisse in eum locum, Columen uero familiæ. namq; & uersum ipsum Lucillij citat Donatus, uerbumq; Columellæ exponit, ut diximus. Nec uero spernendus error super dictione præcipue tam rara, ut præter hunc Lucillij locum uix in tanta librorum autorumq; multitudine ac copia semel aut iterum legere sit. In nono eiusdem poëtæ libro legimus, Columella.

Campis diues Apollo sic mutinis,
Sic semper senibus fruare cygnis.

Legiq; ita oportere confirmat idem Domitius, & antiquorum exemplarium fide, & propter multam Apollinis Sminthei celebritatem: atque ita, ut uideatur de his Apollinis Sminthei campis hoc dictum sentire, qui erant in Chrissa Ciliciæ urbe. ea porrò ratione eum optari diuitem, non ut pecunias alias'ue diuitias ei precetur Martialis (qd enim his superis opus?) sed eo sensu, sic sis diues, id est, sic religiosissime colaris. Ego uero ita Domitij sententiæ nō accedo, ut existimem, non de templo quod in Chrissa fuit, intelligere Martialem:

quid enim campos nominet, quum sit in urbe templum? aut quomodo coletur in campis Smintheis Apollo, & non in templo? aut qui tandem isti sunt campi? declarare oportuit, nō modo esse in Chrissa templum Sminthei Apollinis, sed etiam qua ratione campos ei sacratos dixerit Martialis. ita enim transfugit à templo ad campos Domitius, ut magis unde abeat, quam quo tendat, intelligere uideatur. Id enim quod affert in defensionem, plurimis scilicet in locis cultum fuisse Apollinem sub Sminthei nomine, magis ad monstrandam eius nominis celebritatem, quàm quòd ad id Martialis spectarit, adducere ipse fatetur. Collecta autem ab eo nō sunt, ut ait, satis sensui poëtæ aperiendo. cur enim campos nominauit? Itaq;, ut tandem, quid sentiam, explicem, non de Chrissæo templo, ut arbitror, Martialis sensit: uerum ad Sminthea loca, quæ apud agrum Larissæum esse testatur Strabo. ea enim celeberrima fuisse, et multis laudata, uel unus Horatius Flaccus testis erit grauissimus, quum inquit,

« Nec tam Larissæ percussit campus opimæ.

Quamuis de Thessalica Larissa acceperit male (ut opinor) Acron. nam Horatius celebres numinum cultu urbes nominat, quod ne Acronē quidem præterijt. Et alibi inquit Horatius, Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes: quod idem Acron fertilis interpretatur. Mouet, quod Horatius & campum & opimam dixit: ut Martialis, diues campis. Murinum à mure non solus aut primus Martialis finxit, sed & antè Columella, & Plinius Secundus, nec non Iustinus in secundo, & Palladius agricolationis autor. Quum tamen apud multos legerimus de urbe Myrina in Lemno insula, alteraq; in Aeolide, et Gryno oppidulo, unde Gryneus Apollo. Ferè uideri potest à Myrine Myrinus penultima longa deductum. namq; et Plinius libro V. Cap. XXX. iuxta eam urbem fuisse Larissam indicat. Quin duas potius Larissas, alteram tamen Chrissæ propinquiorem, iuxtaq; eam Sminthium templum durare, utranque uero Larissam littori appositam. De Gryno uero, siue Grynea, Stephanus, Hecatæusq;, præter Plinium ac Strabonem. Myrineorum uicum esse indicat Stephanus. Sanè camporum frequens in his locis mentio. nam & Pomponius

Horatij locus.

Murinum.

Myrina.

ponius Mela, quam urbem his in locis Thebas uocat Plinius, campum ipse nuncupat: Campus, inquit, Thebæ nomine. Bergyletos quoque campos in adiacenti Ionia nominat Plinius, & quos à Smyrna Hermus amnis facit, & nomini suo adoptat, tum alios his uerbis: Mons, inquit, Minas, CCL. M. P. excurrens, atq; in continentibus campis residens, quo in loco magnus Alexander intercidi planiciem eam iusserat. VII M D. P. longitudine, ut duos sinus iungeret, Erythrasq; cum Minante circumfunderet. Iuxta eos fuerunt oppida. Gryneum sanè nemus Seruius apud Clazomenem in finibus Ionijs statuit, ut sit uel ex Vergilio sumptum, inde:

His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

Id alioqui & Euphorioni Græco poëtæ: quem Gallus in Latinũ uertit, constat ex eodem Seruio fuisse celebratum. Quin & multis nominibus cultus illis locis Apollo. nam & Clarij fanum, & Didymei oraculum fuit in contermina Ionia: et Thymbreus in Teuthrania, si Seruio credimus: & Patareus in Lycia, multisq; præterea. Neque uero ignoro, hæc iampridem ab ipso Domitio contra incerti nominis autorem disputata refutataq;. Sed tamen, quum nec illius (quod sciam) extet Epistola, & hæc, prius quàm in illam Domitij controuersiam inciderem, adnotassem, non putaui non esse scribenda. Sed &, ut ille Domitij aduersarius existimauit, grammatices ratio refelli non potest. In Ina enim, & cæteras tales uoces desinentia, deriuatiua similia habẽt: ut Palestina, Palestinus, na, num: Amerinum, Amerinus, na, num. quanquam et aliter desinere poßit, ut hoc ipsum Myrinus & Myrineus, ab Amerino oppido Vergilius deduxit,

Aut Amerina parant lentæ retinacula uiti,

Ibibiq; Seruius, & Cicero pro Roscio Amerino orationem inscripsit. Duriusculum alioqui uidetur, & longè petitum Murini hoc loco significatum, syllabæ præsertim mora refragante: tametsi id uerbum in usu sit plerisq;, ut diximus. ac licet Murinis scriptum inueniatur, erit tamen ueteri more pro Myrinis, u scilicet Latina litera pro Græca y immutata. Diues autẽ proprie etiam accipi potest. Mela

Apollinis cognomina.

de Patareo Apolline: Vt multa oppida, inquit, sic præter Pátarã non illustria, illam nobilem facit delubrũ Apollinis, quondã opibus et oraculi fide Delphico simile: propter donaria scilicet & templorũ ipsorũ preciosas marmoreasq; ædificationes, cæteramq; ueterẽ nostrăq; etiam prodigalitatẽ. Conturbatorem in eodẽ opere parũ aptè idem uidetur explicuisse Domitius, duobus locis. uno illo, septimo libro:

Cõturbator

Ad dominum redeas, noster te non capit ignis,
Conturbator aper, uilius esurio.

Altero illo, in decimo,

Hic preciosa fames, conturbatorq; Macellus.

Ego conturbare turbareq; in ea ui esse existimo, abijcere, perdere, dißipare: sicut deturbare, deijcere, neq; alio sensu dictum à Martiale, quàm sit à Iuuenale quoq;,

Nec parua tamen mensura relictæ
Partis erat, totam hanc turbauit filius amens,
Dum meliore nouas attollit marmore uillas.

Cõturbare. Budæus quidem aliter putat in Adnotat. Pandectarum. Conturbare enim antiquo iuris uerbo, fuisse decoquere: inde conturbatorem, quasi decoquere cogentẽ. Adijciemus et illud, de quo permagna est inter Laurentiũ Vallã Priscianumq; contentio, de fico ficuq; ex eiusdem Martialis Epigrammate, quod ita scriptum præfert Priscianus:

Quum dixi ficos, rides quasi barbara uerba,
Et dici ficus Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficus Cæciliane tuos?

Vt sit in primo tantũ carmine secũdæ inflexionis, in cæteris tribus quartæ. Quod si ita legimus, necesse est, ut putauit Laurentius, ultimum uersiculũ uel ironicôs, uel per interrogationem negatiua responsione indigentem accipere: quasi diceret minime, sed ficos, ut à me dictũ carpis. Ex quo apparet, in eo loco, quem deriserat Cæcilianus, quicunq; tandẽ ille fuit, à Martiale dictũ ficos secũdæ inflexionis, pro morbo. Alioqui reprehẽderet seipse Martialis, quod minime putandũ est. Sanè toto opere ficum Martialis pro fructu & secũdæ

Ficus.

& quartæ declinationis usitat. Cæterum fuit quũ ego aliter legendum existimarem, cuius meæ sententiæ quia me nondũ omnino pœnitet, non celabo studiosos animi mei iudicium, quale idcunque est, quancunq; in partem accipiatur. ita scilicet:

Quum dixi ficus, rides quasi barbara uerba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Vt primo & tertio carmine quartæ declinationis, secundo ultimoq; secundæ dixerit. Si enim quartæ tantum declinationis ficus morbũ significaret, ut uoluit Priscianus: eum qui talem morbum pateretur, non ficosum, sed ficuosum, ut luctuosum, fructuosumq;, diceremus. nec tamen usquam est ficuosum, cum ficosum ubiq; legamus. Idem: Ficosus.

Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus,
Filia ficosa est, & gener atq; socer.
Cum sint ficosi pariter iuuenesq; senesq;:
Res mira est, ficos non habet unus ager.

Ex quo etiam epigrammate apparet, tam morbũ quàm fructũ secundæ declinationis esse posse. quia cum ficosos dixisset, subdidit, ficos non habet, qui à fico ficosos dixisset, & utrunq; eadem declinatione significetur. Quamuis ficus in quarta quidã hic male scribant. Illud autẽ Epigramma ita esse legendũ, ut nos docuimus, uel illud argumẽto est, quod in quarto primùm libro de ficu fecit mentionẽ Martialis, in Epigrammate cuius initiũ, Saturnalia diuitẽ Sabellũ, cũ ait:

Et ficus Libycæ gelata testa.

Quo scilicet uiso, Cæcilianus poẽtã barbariei reprehẽderat, quasi nusquã ficus in quarta declinatione inueniretur pro fructu, s. quem Martialis in sequẽti libro, nempe quinto (nam eo numero citat librũ Martialis Priscianus) eludit. Quasi diceret, in quarta, ut ego sum usus, dicitur ficus pro fructu: in secũda autẽ, secundũ quã dici semper ficum uis, utimur, quum morbum, quo tu laboras, significare uolumus. Quamobrẽ non sentit de generis differentia Martialis, neq; ad id primũ Epigramma conscriptũ est, ut uoluit Laurentius: tametsi

id obiter, &, ut dicitur, in consequentiā succedit. quia, quartæ declinationis cū est, masculini generis esse nō potest, cōtrà quàm à grammatistis quibusdā affirmetur, qui ultimū illum uersiculum planè legunt, ut Priscianus, citráq; interrogationē atq; ironiam perperam. At secūdæ, utriusq; est generis, cum fructum notat: cum morbum, masculini tantū. Quid enim poneret differentiā generis Martialis, de declinatione alioqui reprehensus? Neq; uero id significat, cū dicit Dicamus ficus quas scimus in arbore nasci, ficū secundæ declinationis pro fructu dici nō posse: sed morbū quartæ esse posse, id uero pernegat. Quod si aliter legatur Epigrāma, frigidissimus fuerit Martialis, et insulsissimus: quū ita lectū et elegantissimum et festiuissimū sit. Est enim sensus: ô Cæciliane, cū negas aliter ficum dici, quàm secunda declinatione, rectè loqueris: cogitas enim morbū tuū, qui quidem aliter appellari non potest. at ego cū dico ficus in quarta, nō male loquor: intelligo .n. fructū. Itaq; unum hoc ostendere uult Martialis, ficum fructū etiam quartæ esse, nec necessariò secūdæ inflexionis: at morbū necessariò secūdæ. Secundæ uero, cum morbū notat, semper esse masculinū: at cum fructum quartæ, semper fœmininū. Hoc nō ideo minus notare debuimus, quod grammatices quandā rationē & meram literaturā saperet, à quibus eruditi more quodā refugiunt. nam nos ne hæc quidem spernimus, cum sunt præcipue cū autoris cuiuspiā non inelegantis candore incolumitateq; cōiuncta.

Martialis locus explicatur.

Hæc habuimus, quæ trium dierum properata opera in unum collecta, cum ea iampridē notassemus, libello hoc complexi ederemus in gratiam studiosorum: à quibus cum multa in eo genere didicissemus, nō fuit cōmittendum, ut pro tanta sorte nullam usurā redderemus. Sed hoc quasi leuiore fœnore inuitandi fuerant, ut mutuò huiusmodi literarias pecunias libentes darent: spe certa, non minoris à nobis in posterum lucri consequendi.


DECVRIAE BERNARDINI RVTILII FINIS.

VITARVM RECENTIORVM IVRECONSVLTORVM PERIOCHAE.


PER IOANNEM FICHARDVM FRANCOFVRTENSEM.

Vnà cum memorabilium INDICE.





DOMINO CLAVDIO PIO PEVTINGERO IVRECONSVLTO CLARISS. FLORENTISSIMAE Reipub. Auguſtanæ Aduocato, Ioannes Fichardus Francofurtenſis S.



QVOD in clarorum Oratorum hiſtoria queri Marcus Cicero uidetur, difficile eſſe de illis plus intelligere, quàm quantũ ex monumentis ſuſpicari liceat, illud ipſum rectè quis et de Iuriſconſultis tam ueteribus quàm recentioribus dixerit. Cum enim & permulti ita obſcuri uixerint, ut niſi in aliorum ſcriptis eorum nomina interdũ reperirentur, nulla prorſus ipſorũ memoria ſupereſſet, et ex poſteris nemo ferè non ſuæ magis memoriæ, quàm maiorum ſtudioſus fuerit, et ob id eorum labores, uitamq́ actam plerique ſilentio præterierint, ſanè perquàm difficile eſt plura de illis uel ſcire uel commemorare, quàm quantum ex uariorum autorum collatis ſcriptis paſſim colligere poſſumus. Quis enim nũc uel Faſoli, uel Columbi, uel Furioſi, uel Boëmi, uel ſimiliũ uetuſtiorum Iureconſultorum uitas nouerit, cum de his præter nomen nihil reſtiterit? Itaque cum Oporinus, eorum qui excudendis ætate noſtra optimis quibuſq; autorib. nauant operã, doctiſſimus, à me ſępe contenderet, ut recentiorum Iureconſultorum uitas colligere, & ueterum Iureconſultorum hiſtoriæ per Rutiliũ ſcriptę (quam poſt alias editiones ipſe quoq; denuo eſſet editurus) auctarij uice coniungere non grauarer, equidẽ illi negaui operã meam, cum intelligere facile poſſem, in obſcura prorſus hi-

ſtoria uerſandum mihi fore, nec me ferè quicquam
præter ea quæ Baptiſta Caccialupus ſcripſiſſet, de il
lis afferre poſſe. Nam Baldi Peruſini opus de Com-
memorationibus famoſiſſimorum Doctorum in u-
troq; iure, nõ extat: et Thomæ Diplouatatij Patritij
Conſtantinopolitani libri XII de prçſtantia Docto
rum, & clariſſimis Iureconſultis, ſimiliter ſuppri-
muntur, in quibus diligentiſſimus ille uir (teſte Bap
tiſta Aegnatio) & Iuris ciuilis dignitatem explica-
uit, & autores eius interpretesq; omnes à Phoroneo
ducta ſerie, ad noſtra uſque tempora deduxit. Atq;
utinam illi ederentur tandem: frueremur iucunda
uariaq; Iureconſultorum cognitione, & ſimilia colli
gendi ſtudio liberaremur. Cçterum Oporinus cum
finem inſtandi nullum faceret, ad extremum me eò
compulit, ut reciperem me celebriorum tantùm Iu
re. onſultorũ uitas per Periochã tractaturũ. omnes
enim ex æquo referre, & infiniti, & impoſſibilis cu-
iuſdam operis fore uidebatur. Eam igitur tractatio-
nem παρέργως tandẽ aggreſſus, breuiſſimè abſolui.
partim quòd nec habebam quidem plura quæ com
memorarem: partim quòd ea quç amplius habebã,
non admodum digna relatu uidebantur. Et cum in
uenirem alios aliorum interdum uariè meminiſſe,
poſui quod ueriſimilius erat. Epitaphia quoq; quæ
in Italia obiter obſeruauerã, quibuſdam in locis inſe
rui: non elegantiæ quidem cauſa, ſed hiſtoriæ, quo
rectius tempora notarentur. Deniq; ut plenior eſſet
hçc ueterum recentiorumq; Iureconſultorum hiſto
ria, ſubieci libellum & Indicem omnium ſcriptorũ
in Iure, tam ciuili, quàm pontificio, ad hæc uſq; no-
ſtra tempora editorum. Et cum hæc confecta iam
Oporino, ſine autoris tamen inſcriptione, tradidiſ-
ſem,

ſem, (neq; enim dignum hoc opuſculum iudicabã, in quo nomen aliquis ſuum profiteretur) uehementer ille inſtabat, ut quum hiſtorica nihil perinde ac fides commendaret (quæ plerunque eo ipſo certior eſſe uidetur, quòd de autore conſtat) ſub meo potiſſimũ nomine ederem. Addebat uerò, et celebres olim ſcriptores, Plinium Secundum, puta, Suetonium, Hieronymum, Gennadium, & alios, non plenius Periochas ſuas illuſtrium uirorum, quàm ipſe feciſſem, eſſe perſecutos: nec tamen eius operæ illos puduiſſe, quin nomina ſua libellis inſcripſerint. Quod igitur bene uertat, hoc opuſculum ad te, Claudi Pie doctiſsime, mitto: non quod cogitem eo demereri iam te: ſed cum biennio propè toto nullas ad te, amicum tantum, tamq; bene de me meritum literas dederim, ut uel ex hoc certam quodammodo de amiciſſimi erga te animi mei conſtantia coniecturam capere poſſes. Bene uale, amice ſynceriſsime.

Francofurti, kalendis Iulijs, Anno

M. D. XXXIX.

INDEX.

FINIS.

VITARUM IURECONSUL-TORUM NEOPALAEORUM, HOC EST, eorum qui post recuperatam Romani iuris prudentiam, eandem & docendo & scribendo professi sunt ad hæc usque tempora, Periochæ.

PER IOANNEM FICHARDUM FRANCOFURTENSEM.

IRNERIUS.



Vi uetustiorum post recuperatam Romani iuris prudentiam Iureconsultorum mentionē in scriptis suis fecerunt, Irnerium ferè omnes tanquam primum illius Iuris restauratorem celebrarunt. Quemadmodum enim Odofredus (qui non ita longo eum interuallo insecutus est) commemorat, cum Bononiæ primū artes liberales tantum, In l. Ius ciuile. ff. de Iust. & Iure. *publicè docerentur, essetq́; inter ipsos earum professores etiam hic Irnerius, postea uero Ius ciuile Romanum recuperatum esset, & Bononiam quoque importatum, cœpit Irnerius, sepositis alijs studijs, huic se totum dedere: tantaq́; eius dignitate atque elegantia captus, nullo etiam magistro, sedulo illi sua Minerua incumbere. Cæterū cum eius usum utilitatemq́; esse permaximam, & longe præstantem intelligeret, illud profiteri etiam atq; docere alios primus instituit. Primus item glossulas obscurioribus difficilioribus'que locis apposuit. Qua de re & celeberrimum apud omnes nomen sibi comparauit, & primus Iuris prudentiæ illustrator, adeoq; lucerna Iuris, passim uocitari cœpit. Quanquam enim (ut idem Odofredus scribit) alius quidam, Pepo nomine, primus Bononiæ propria authoritate leges esse professus feratur, tamen tam obscurus ille, tamq; nullius*

Ff nominis

nominis fuit, ut meritò ante Irnerium nemo Ius docuisse, dici possit. Neq; uero glossas tantum interlineares legibus, ut dictum est, apposuit: sed et Autenticas (sic uocant) ex ipso Autenticorum Iustiniani Imperatoris uolumine, quàm breuissimè iuxta sententiam tantum desumptas, legibus Codicis eiusdem Iustiniani inseruit: rem gratissimam simul, & commodißimam Iuris studiosis faciens. Etsi autem sint qui hoc alijs ex uetustis tribuant, communis tamen post Accursium (qui id compluribus in gloßis Autenticarum testatur) opinio est, Irnerium Autenticarum authorem esse. Exceßit è uiuis hic Irnerius circiter Annũ Domini M.C.XC. *cùm Ius ciuile ex Malfitanæ urbis direptione in Italiam Pisas, ab ipsis Pisanis uictoribus esset relatum, Anno* M.C.XXVIII. *ut meminit Vigilus, uir absoluta non modo Iurisprudentia, sed & omnium adeò disciplinarum eruditione.*

Viglius.

HVGOLINVS, BVLGARVS, MARTINVS, PLACENTINVS, IOANNES.

POst Irnerium increbrescere statim Iurisprudentiæ studium cœpit: nec discentium tantum multitudo, uerum etiam doctorum copia fuit. Circa eadem enim tempora Anni M.C.XC, *professi sunt leges, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes. ut alios interim obscuriores ignobilioresq; omittamus: quales fuerunt, Aldericus (qui tamen homo magnæ authoritatis à Roffredo appellatur, & in Gloßis Accursij sæpe allegatur) Barnerius, Kilianus, Columbus, Fasolus, & similes, quorum nulla omnino monumenta extant. Nam & isti quos paulo antè commemoraui, nihil admodum insigne & præclarum præstiterunt: licet posteriores duo Summas quasdam post se reliquerint. De Hugolino quidem hoc refertur, quod ipse autor fuerit eius quam quidam Collationem decimam uocant. Primus enim libros Feudales, et Constitutiones Friderici utriusq;, & Conradi Imperatorum collectas, Nonæ collationi Autenticorum Iustiniani subiunxit, Decimamq; ex ijs Collationem (ut tradit Odofredus) constituit. Bulgarus uero, ex docendo tantum paucisq; gloßis innotuit primum, & deinceps in po-*

Vide Bal. in proœ. Feudo.

sterorum

sterorum memoria permansit. Similiter & Martinus: sed non ad modum ille feliciter. Siquidem pleraeq; eius in iure decisiones, à posteris in controuersiam uocatae confutataeq; sunt. adeò ut alicubi Iason dicere non uereatur, Martinum nihil unquam sani ueriq; dixisse. Placentinus ad Montem Pessulanum Summas in Codicem, & libros Institutionum composuit: quae superioribus annis apud nos demum euulgatae, nec poenitendae sunt. Ioannes Bosianus, Cremonensis patria, similiter etiam ipse Summam conscripsit super Pandectas, sed breuiorem. Hanc Odofredus uentosam Summulam uocat, & scribit solummodo ad Placentinum exagitandum editam, praeterea autem nihil boni continere. Fuit praeceptor Azonis & Accursij, quare crebra ipsius per illos fit mentio. Floruerunt isti circiter annum M.C.XC.

Instit. de Actio. §. si minus. col. v.

In l. i. ff. de eden.

AZO.

AZo Bononiensis fuit. Praeceptorem habuit Ioannem Bosianum. Iurisprudentia reliquis aetatis suae iureconsultis longe praestitit: quam publicè Bononiae primum professus est. Inde uero aemulorum inuidiae cedens, ad Montem Pessulanum se contulit, ibidemq; nō minori cum gloria, cum illum optimus atq; studiosissimus quisq; eruditionis causa sequeretur, quasi priuatim docuit. Verum cum indies magis ac magis nomen ipsius celebraretur, uirtute inuidiam superante, Bononiam est reuocatus, magnoq; deinceps in precio fuit. Multos claros uiros erudiuit. Summam in omnes Titulos Codicis conscripsit elaboratissimam, doctorumq; omnium calculis primo loco receptam. Conscripsit etiam magnos apparatus super Digesto ueteri. Hunc Baldus (non imperitus ingeniorū iudex) plus semel, tanquam fontem legum, & uas electionis praedicat. De morte tanti uiri nescio quae ex maiorum relatione per quosdam feruntur, quibus tamen, quando eius rei nullum ex historijs aliorumue scriptis iudicium habetur (quod ego quidem sciam) fidem hactenus habere non potui. Monumentum sanè, quod ei mortuo positum est, & nunc ad uiam publicam propè turrim Sancti Seruatij uidetur, etsi non ornatum sit, honori-

 ficum

id obiter, & ut dicitur, in consequentiã succedit. quia, quartæ declinationis cũ est, masculini generis esse nõ potest, cõtrà quàm à grammatistis quibusdã affirmetur, qui ultimũ illum uersiculum planè legunt, ut Priscianus, citràq; interrogationẽ atq; ironiam perperam. At secũdæ, utriusq; est generis, cum fructum notat: cum morbum, masculini tantũ. Quid enim poneret differentiã generis Martialis, de declinatione alioqui reprehensus? Neq; uero id significat, cũ dicit Dicamus ficus quas scimus in arbore nasci, *ficũ secundæ declinationis pro fructu dici nõ posse: sed morbũ quartæ esse posse, id uero pernegat. Quod si aliter legatur Epigrãma, frigidissimus fuerit Martialis, et insulsissimus: quũ ita lectũ et elegantissimum et festiuissimũ sit. Est enim sensus: ô Cæciliane, cũ negas aliter ficum dici, quàm secunda declinatione, recte loqueris: cogitas enim morbũ tuũ, qui quidem aliter appellari non potest. at ego cũ dico ficus in quarta, nõ male loquor: intelligo. n. fructũ. Itaq; unum hoc ostendere uult Martialis, ficum fructũ etiam quartæ esse, nec necessariò secũdæ inflexionis: at morbũ necessariò secũdæ. Secundæ uero, cum morbũ notat, semper esse masculinũ: at cum fructum quartæ, semper fœmininũ. Hoc nõ ideo minus notare debuimus, quod grammatices quandã rationẽ & meram literaturã saperet, à quibus eruditi more quodã refugiunt. nam nos ne hæc quidem spernimus, cum sunt præcipue cũ autoris cuiuspiã non inelegantis candore incolumitateq; cõiuncta.*

Martialis locus explicatur.

Hæc habuimus, quæ trium dierum properata opera in unum collecta, cum ea iampridẽ notassemus, libello hoc complexi ederemus in gratiam studiosorum: à quibus cum multa in eo genere didicissemus, nõ fuit cõmittendum, ut pro tanta sorte nullam usurã redderemus. Sed hoc quasi leuiore fœnore inuitandi fuerant, ut mutuò huiusmodi literarias pecunias libentes darent: spe certa, non minoris à nobis in posterum lucri consequendi.

DECVRIAE BERNARDINI RVTILII FINIS.

VITARVM RECENTIORVM IVRECONSVLTORVM PERIOCHAE.


PER IOANNEM FICHARDVM FRANCOFVRTENSEM.

Vnà cum memorabilium INDICE.



DOMINO CLAVDIO PIO PEVTINGERO IVRECONSVLTO CLARISS. FLORENTISSIMAE Reipub. Auguſtanæ Aduocato, Ioannes Fichardus Francofurtenſis S.





VOD in clarorum Oratorum hiſtoria queri Marcus Cicero uidetur, difficile eſſe de illis plus intelligere, quàm quantũ ex monumentis ſuſpicari liceat, illud ipſum rectè quis et de Iuriſconſultis tam ueteribus quàm recentioribus dixerit. Cum enim & permulti ita obſcuri uixerint, ut niſi in aliorum ſcriptis eorum nomina interdũ reperirentur, nulla prorſus ipſorũ memoria ſupereſſet, et ex poſteris nemo ferè non ſuæ magis memoriæ, quàm maiorum ſtudioſus fuerit, et ob id eorum labores, uitamq; actam plerique ſilentio prætererint, ſanè perquàm difficile eſt plura de illis uel ſcire uel commemorare, quàm quantum ex uariorum autorum collatis ſcriptis paſſim colligere poſſumus. Quis enim nũc uel Faſoli, uel Columbi, uel Furioſi, uel Boëmi, uel ſimiliũ uetuſtiorum Iureconſultorum uitas nouerit, cum de his præter nomen nihil reſtiterit? Itaque cum Oporinus, eorum qui excudendis ætate noſtra optimis quibuſq; autorib. nauant operã, doctiſſimus, à me ſępe contenderet, ut recentiorum Iureconſultorum uitas colligere, & ueterum Iureconſultorum hiſtoriæ per Rutiliũ ſcriptę (quam poſt alias editiones ipſe quoq; denuo eſſet editurus) auctarij uice coniungere non grauarer, equidẽ illi negaui operã meam, cum intelligere facile poſſem, in obſcura prorſus hi-

 ſtoria

storia uersandum mihi fore, nec me ferè quicquam præter ea quæ Baptista Caccialupus scripsisset, de illis afferre posse. Nam Baldi Perusini opus de Commemorationibus famosissimorum Doctorum in utroque iure, nō extat: et Thomæ Diplouatatij Patritij Constantinopolitani libri XII de præstantia Doctorum, & clarissimis Iureconsultis, similiter supprimuntur, in quibus diligentissimus ille uir (teste Baptista Aegnatio) & Iuris ciuilis dignitatem explicauit, & autores eius interpretesque omnes à Phoroneo ducta serie, ad nostra usque tempora deduxit. Atque utinam illi ederentur tandem: frueremur iucunda uariaque Iureconsultorum cognitione, & similia colligendi studio liberaremur. Cęterum Oporinus cum finem instandi nullum faceret, ad extremum me eò compulit, ut reciperem me celebriorum tantùm Iureconsultorū uitas per Periochā tractaturū. omnes enim ex æquo referre, & infiniti, & impossibilis cuiusdam operis fore uidebatur. Eam igitur tractationem παρέργως tandē aggressus, breuissimè absolui. partim quòd nec habebam quidem plura quæ commemorarem: partim quòd ea quę amplius habebā, non admodum digna relatu uidebantur. Et cum inuenirem alios aliorum interdum uariè meminisse, posui quod uerisimilius erat. Epitaphia quoque quæ in Italia obiter obseruauerā, quibusdam in locis inserui: non elegantiæ quidem causa, sed historiæ, quo rectius tempora notarentur. Denique ut plenior esset hęc ueterum recentiorumque Iureconsultorum historia, subieci libellum & Indicem omnium scriptorū in Iure, tam ciuili, quàm pontificio, ad hæc usque nostra tempora editorum. Et cum hæc confecta iam Oporino, sine autoris tamen inscriptione, tradidissem,

ſem, (neq; enim dignum hoc opuſculum iudicabã, in quo nomen aliquis ſuum profiteretur) uehementer ille inſtabat, ut quum hiſtorica nihil perinde ac fides commendaret (quæ plerunque eo ipſo certior eſſe uidetur, quòd de autore conſtat) ſub meo potiſſimũ nomine ederem. Addebat uerò, et celebres olim ſcriptores, Plinium Secundum, puta, Suetonium, Hieronymum, Gennadium, & alios, non plenius Periochas ſuas illuſtrium uirorum, quàm ipſe feciſſem, eſſe perſecutos: nec tamen eius operæ illos puduiſſe, quin nomina ſua libellis inſcripſerint. Quod igitur bene uertat, hoc opuſculum ad te, Claudi Pie doctiſsime, mitto: non quod cogitem eo demereri iam te: ſed cum biennio propè toto nullas ad te, amicum tantum, tamq; bene de me meritum literas dederim, ut uel ex hoc certam quodammodo de amiciſſimi erga te animi mei conſtantia coniecturam capere poſſes. Bene uale, amice ſynceriſsime.

Francofurti, kalendis Iulíjs. Anno

M. D. XXXIX.

INDEX.

VITARVM IVRECONSVLTORVM NEOPALAEORVM, HOC EST, eorum qui post recuperatam Romani iuris prudentiam, eandem & docendo & scribendo professi sunt ad hæc usque tempora, Periochæ.

PER IOANNEM FICHARDVM FRANCOFVRTENSEM.

IRNERIVS.



Vi uetustiorum post recuperatam Romani iuris prudentiam Iureconsultorum mentionē in scriptis suis fecerunt, Irnerium ferè omnes tanquam primum illius Iuris restauratorem celebrarunt. Quemadmodum enim Odofredus (qui non ita longo eum interuallo insecutus est) commemorat, cum Bononiæ primū artes liberales tantum, publicè docerentur, esset'q; inter ipsos earum professores etiam hic Irnerius, postea uero Ius ciuile Romanum recuperatum esset, & Bononiam quoque importatum, cœpit Irnerius, sepositis alijs studijs, huic se totum dedere: tantaq; eius dignitate atque elegantia captus, nullo etiam magistro, sedulo illi sua Minerua incumbere. Ceterū cum eius usum utilitatemq; esse permaximam, & longe præstantem intelligeret, illud profiteri etiam atq; docere alios primus instituit. Primus item glossulas obscurioribus difficilioribus'que locis apposuit. Qua de re & celeberrimum apud omnes nomen sibi comparauit, & primus Iuris prudentiæ illustrator, adeoq; lucerna Iuris, passim uocitari cœpit. Quanquam enim (ut idem Odofredus scribit) alius quidam, Pepo nomine, primus Bononiæ propria authoritate leges esse professus feratur, tamen tam obscurus ille, tamq; nullius

In l. Ius ciui le. ff. de Iust. & Iure.

Ff *nominis*

nominis fuit, ut meritò ante Irnerium nemo Ius docuisse, dici possit. Neq; uero glossas tantum interlineares legibus, ut dictum est, apposuit: sed et Autenticas (sic uocant) ex ipso Autenticorum Iustiniani Imperatoris uolumine, quàm breuissimè iuxta sententiam tantum desumptas, legibus Codicis eiusdem Iustiniani inseruit: rem gratissimam simul, & commodissimam Iuris studiosis faciens. Etsi autem sint qui hoc alijs ex uetustis tribuant, communis tamen post Accursium (qui id compluribus in glossis Autenticarum testatur) opinio est, Irnerium Autenticarum authorem esse. Excessit è uiuis hic Irnerius circiter Annũ Domini M.C.XC. *cum Ius ciuile ex Malfitanæ urbis direptione in Italiam Pisas, ab ipsis Pisanis uictoribus esset relatum, Anno* M.C.XXVIII. *ut meminit Vigilus, uir absoluta non modo Iurisprudentia, sed & omnium adeò disciplinarum eruditione.*

Viglius.

HVGOLINVS, BVLGARVS, MARTINVS, PLACENTINVS, IOANNES.

POst Irnerium increbrescere statim Iurisprudentiæ studium cœpit: nec discentium tantum multitudo, uerum etiam doctorum copia fuit. Circa eadem enim tempora Anni M.C.XC, *professi sunt leges, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes. ut alios interim obscuriores ignobilioresq; omittamus: quales fuerunt, Aldericus (qui tamen homo magnæ authoritatis à Roffredo appellatur, & in Glossis Accursij sæpe allegatur) Barnerius, Kilianus, Columbus, Fasolus, & similes, quorum nulla omnino monumenta extant. Nam & isti quos paulo antè commemoraui, nihil admodum insigne & præclarum præstiterunt: licet posteriores duo Summas quasdam post se reliquerint.* De Hugolino *quidem hoc refertur, quod ipse autor fuerit eius quam quidam Collationem decimam uocant. Primus enim libros Feudales, et Constitutiones Friderici utriusq;, & Conradi Imperatorum collectas, Nonæ collationi Autenticorum Iustiniani subiunxit, Decimamq; ex ijs Collationem (ut tradit Odofredus) constituit.* Bulgarus *uero, ex docendo tantum paucisq; glossis innotuit primum, & deinceps in po-*

Vide Bal. in proœ. Feudo.

sterorum

ſteriorum memoria permanſit. Similiter & Martinus: ſed non ad modum ille feliciter. Siquidem pleræq; eius in iure deciſiones, à poſteris in controuerſiam uocatæ confutatæq; ſunt. adeò ut alicubi Iaſon dicere non uereatur, Martinum nihil unquam ſani ueriq; dixiſſe. Instit. de Actio. §. ſi minus. col. V. *Placentinus ad Montem Peſſulanum Summas in Codicem, & libros Inſtitutionum compoſuit: quæ ſuperioribus annis apud nos demum euulgatæ, nec pœnitendæ ſunt. Ioannes Boſianus, Cremonenſis patria, ſimiliter etiam ipſe Summam conſcripſit ſuper Pandectas, ſed breuiorem. Hanc Odofredus uentoſam Summulam uocat, & ſcribit ſolummodo ad Placentinum exagitandum editam,* In l. i. ff. de eden. *præterea autem nihil boni continere. Fuit præceptor Azonis & Accurſij, quare crebra ipſius per illos fit mentio. Floruerunt iſti circiter annum M.C.XC.*

AZO.

AZo Bononienſis fuit. Præceptorem habuit Ioannem Boſianum. Iuriſprudentia reliquis ætatis ſuæ iureconſultis longe præſtitit: quam publicè Bononiæ primum profeſſus eſt. Inde uero æmulorum inuidiæ cedens, ad Montem Peſſulanum ſe contulit, ibidemq; nõ minori cum gloria, cum illum optimus atq; ſtudioſiſſimus quiſq; eruditionis cauſa ſequeretur, quaſi priuatim docuit. Verum cum indies magis ac magis nomen ipſius celebraretur, uirtute inuidiam ſuperante, Bononiam eſt reuocatus, magnoq; deinceps in precio fuit. Multos claros uiros erudiuit. Summam in omnes Titulos Codicis conſcripſit elaboratiſſimam, doctorumq; omnium calculis primo loco receptam. Conſcripſit etiam magnos apparatus ſuper Digeſto ueteri. Hunc Baldus (non imperitus ingeniorũ iudex) plus ſemel, tanquam fontem legum, & uas electionis prædicat. De morte tanti uiri neſcio quæ ex maiorum relatione per quoſdam feruntur, quibus tamen, quando eius rei nullum ex hiſtorijs aliorum'ue ſcriptis iudicium habetur (quod ego quidem ſciam) fidem hactenus habere non potui. Monumentum ſanè, quod ei mortuo poſitum eſt, & nunc ad uiam publicam propè turrim Sancti Seruatij uidetur, etſi non ornatum ſit, honori-

ficum tamen est cumprimis: Hanc enim habet inscriptionem.

TRINITATI
AZONI IVRISCONSVLTORVM
NVMINI
ANNO GRATIAE M.CC. HIC TVMVLATO
IN SEPVLCHRO VETVSTATE
COLLAPSO
AC INTER RVDERA VIX AGNITO
IO. FRANCISCVS ALDROVANDVS
DICTATOR
ET CONSVLES BONON.
P. IMPENSA
CONCIVI SVO B. M. MEMORIAM
POSVERVNT.
ANNO SALVTIS M.CCCC.XVI.
V IDVS OCTOBR.

Nihil itaque uerisimilius est, quàm citra notam uita defunctum esse eum uirum, cuius memoriam summi magistratus sacram habuere, & ab interitu asserendam ultro sibi sumpsere, Ex epitaphio *tempora uitæ colligi possunt.*

ROFFREDVS.

R*Offredus patria* Beneuentanus, *uir doctus & festiui ingenij fuit: quod eius scripta satis indicant, quibus multis in locis opportunè suauiterq; iocatur.* Præceptore *usus est* Kiliano *quodam, cuius tamen scriptum nullum extat.* Audiuit *etiam* Azonem, *ut ipse refert in* Actione *negatoria. proindeq; illum frequenter* Dominum *suum appellat.* Post *transmigrationem* Bononiæ *(ut ipse uocat) professus est* Ius *ciuile publicè* Aretij. *ubi & egregium illud opus* Libellorum, *&* Quæstiones *suas* Sabbatinas *edidit.*

Floruit Anno M.CCCC.XV.

AC-

HIs successit Accursius Florentinus, auditor Ioannis & Azonis, uir magni ingenij, & singularis industriæ. Primus enim in uniuersum corpus Legũ, ipsasq; singulas leges, Glossas conscripsit: cũ superiores hoc solummodo in obscurioribus locis nõ ordine, sed paßim, fecissent. De hoc dici potest, quod quidã de Bartolo dixerunt: præclarũ fuisse uirũ, multa tamen habere præceptorum suorũ: Extabãt enim iam tum compluriũ Glossæ in leges: Irnerij uidelicet, Bulgari, Martini, Placentini, Io. Azonis, & aliorũ. de quibus tamen etiã tum Azo conquerebatur, quod legũ notitiã sæpenumero tenebris obscurarẽt.

In proœ. Sum.

Ex his omnibus cũ Accursius perpetuo ductu atq; contextu suas Glossas cõposuisset, quod essent absolutiores & ordinatiores illæ, tum etiã quia reliquas in se continere uiderentur, solæ deinceps ad hæc nostra usq; tempora Iuris studiosorum manibus uersatæ, & ita ueteres abolitæ sunt. in quantam uero authoritatem deinceps illæ apud omnem posteritatem excreuerint, nihil opus est commemorare, cum uulgatum sit illud, Glossæ authoritatem omnes excellere, & illi tanquam Carario ueritatis perpetuo adhærendum esse.

Iaf. in l. Vt uim. col. pe. ff. de Iust. et iure.

Sunt qui tradunt Accursium XXXVII demum ætatis anno Iuris ciuilis studium esse ingressum: quod sanè mirum uideri poterit illis, qui cum hunc excellentißimam iurisprudentiam consecutum esse fateantur, tamen affirmare, deq; eo contendere solẽt, nullam hominis ætatem huius disciplinæ cognitioni sufficere, maxime si qui Bartoli opinionẽ (quod pleriq; illi faciũt) sequantur, qui negat præsumi post XXV annum quicquam amplius à quoquã addisci posse.

Ludo. Ro.

In l. i. C. de prof. lite.

Sed stultissima illa sententia, multis etiã in hac legali disciplina exemplis, eorum hominum qui in clarißimos uiros, etiã sero studium capessentes, euaserunt, confutari potest: ut infrà suis locis indicabitur. Professus est Bononiæ, ubi relicto filio Francisco Accursio, ipso etiam iureconsulto & professore, sed patre longè obscuriore, deceßit. Sepultus est ad S. Franciscum Bononiæ, ubi foris iuxta ingressum, illius monumentum, quod filio commune est, extat: hanc habens simplicißimam inscriptionem,

SEPVLCHRVM ACCVRSII GLOSSATORIS LEGVM ET FRANCISCI EIVS FILII.

Quo anno decesserit, non satis constat. Floruit autem ANNO M. CC. XXVI, *quo tempore (ut ipse refert) etiam Glossas in Autenticorum uolumen conscripsit. Cum hoc autem Accursio finem ipsi Glossatores habuere: cum post illum nemo fuerit, qui Glossas amplius conscripserit. uel quod omnem glossandi materiam esse consumptam arbitrarentur: uel quod ipsam commentandi rationem maioris laudis & gloriæ ducerent.*

In Autēt. ut præpo. no. impe.

IOANNES DE BLANASCO.

IOannes de Blanasco Burgundus, non longo interuallo Accursium insecutus, Bononiæ Iura professus est. Fuit æqualis Iacobi Balduini, qui & ipse tum magni nominis erat inter Iuris professores: quanquam nullum post se scriptum reliquerit, sed per Odofredi discipuli sui scripta potissimum in memoria remanserit. Ioannes tamē de Blanasco in Commentarijs suis super Tit. de Actionibus in Institut. aliquoties ipsius Balduini opiniones affert, ut nescias utrum id tanquam lector, uel tanquā auditor fecerit. Hic Blanascus anno M.CC.LVI. *Commentaria illa de Actionibus, ut iam dixi, Bononiæ edidit: in quibus ueteres, Martinum, Placentinum, Azonem, Roffredum, Accursium identidem, & ipsum illum Balduinum nonnunquam allegat. Multa in formulis Libellorum* R*offredi negligenter tradita, uel omissa, notauit potius quàm reprehendit. Ista commentaria iam propemodum ignorata, aut saltem apud perpaucos sepulta, hac æstate in lucem restitui per doctissimum uirum Iustinum Goblerum iureconsultum, et illustriss. Principis Erici Ducis Brunsuicensis Consiliariū, amicum nostrum, curauimus. Scripsit Blanascus & Ordinem iudiciarium, satis docta tractatione, qui publice extat. & (ut quidam tradunt) Variarum quæstionum librum unum. Amplius de ipso nihil habeo compertum.*

Iacob. Balduini.

Vide de his Commentarijs Ioannē An. in add. ad Spec. in præfa.

INNOCEN

SInibaldus (qui postea Pontifex Max. factus, Innocentius quartus dictus est) Ianuensis, ex nobili Fliscorum familia fuit. Audiuit Bononiæ Azonem iam senem, Accursiũ, & Iacobum Balduinum. Eruditione atq; prudentia omnibus ætate sua longe præstitit. quapropter & inter Cardinales cooptatus, & demum Pontifex Max. creatus est. Tradunt eum post Synodum Lugduni habitam (in qua Fredericũ II. imperio abdicauit) cum ibidẽ longius moraretur, Commentarios suos in Decretales conscripsisse. qui quidem Commentarij in tanta apud posteros Iureconsultos authoritate dignationeq; fuerunt, ut pleriq; patrem ueritatis Innocentium appellauerint. In eo tamẽ à quibusdam reprehensus est, quod dum breuis esse laborauit, obscurus fuerit. Hoc memorabile est, quod quanquam Pontifex iam Commentarios illos ediderit, non tamen maiorem illos authoritatem aliorum scriptis habere ipse quoque uoluerit: ingenueq; professus sæpe fuerit, non hoc se cogitasse cum commentaretur, ut Glossæ suæ ius facerent. quasi diceret: Veritatem nullius præiudicio grauari, sed libera tam scriptorum quàm lectorum iudicia esse debere. Quæ in administratione Reipublicæ Christianæ ante Pontificatum et postea gessit, nihil ad hanc historiam attinent: sed peti possunt ex illis scriptoribus, qui uitas Pontificum Romanorum memoriæ prodiderunt. Scripsit hic Innocentius præterea de iurisdictione imperij, & authoritate Pontificis Romani, contra Petrum Vineam, Apologeticum librum unum. Tandem XII Pontificatus sui anno Neapolim à proceribus regni Siciliæ euocatus, ibidem moritur, sepultusq; ad Sanctum Laurentium est, Anno Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

Host in c. Solet. de senten. excom. lib. 6.

OTTHOFREDVS.

EOdem hoc tempore floruit Otthofredus, patria Beneuentanus, Iacobi Balduini discipulus. Professus est Bononiæ magna cum gratia, id quod & ipsius Lecturæ satis ostendunt, quæ uiuida quadam energia, & lepida docendi ratione refertæ sunt. Non enim legere illum, sed propemodũ audire, Lector sibi uideatur. Reli-

quit

quit igitur post se iam dictas Lecturas, super Codicem & Digesta. Praeterea de Formulis actionum lib.1. De ordine iudiciorum lib.1. De arte Notariatus lib.1. & quaedam alia. Mortuus est Bononiae, Anno M.CC.LXV. ut colligitur ex Epitaphio suo, quod habet in haec uerba.

DEO TRI. VNI.

PIRAMIDEM ET SEPVLCHRVM VETVSTATE CORRVPTA, QVAE ALBERTVS GENITORI SVO ODOFREDO LEGVM PARENTI ANNO DOMINI M. CC. LXV. III NONAS XBRIS POSVERAT: LAVRENTIVS ODOFREDVS DOMINICI ODOFREDI POSTERIORIS FILIVS, ALBERTI TRINEPOS, SVA IMPENSA IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CVLTV SPLENDIDIORE RESTITVIT. ANNO SALVT. M. CCCC. XCVII CAL. SEPTEMB.

HOSTIENSIS.

Successit istis Henricus de Segusia, postea Cardinalis Hostiensis factus. Hic ob eximiam eruditionem suam primum Innocentio IIII Pontifici, & inde Alexandro IIII eius successori ualde gratus fuit. Iuris ciuilis & pontificij summam uno uolumine complexus est, ordine conuenientissimo, & tractatione elegantissima. Illud post longum utriusq; iuris studium atque exercitium inceptũ, postea uero incendio amissum, tandem Cardinalis inter alia sua negotia absoluit, ut ipse refert in fine eius operis. Edidit praeterea Lecturas in V libros Decretales. Et dicit Matthesilanus alicubi, permagnam esse huius Hostiensis inter iureconsultos authoritatem. Floruit sub dictis Pontificibus, Anno M.CC.LV. & sequentibus.

In tracta. de succ. ab intesta.

SPECVLATOR.

Hostiensis praedicti auditor & discipulus fuit, Guilielmus Durandus, qui postea eximium opus, quod Speculum inscripsit,

psit, Anno M.CC.LXXI. edidit, ex eo magnam sanè gloriã apud posteritatem consecutus. Multa tamen ueterum scriptorum ipse sibi sumpsit, & in hoc opus ad uerbum descripsit, quæ postea Ioan. Andreas in Additionibus suis passim notauit atque prodidit. Præterea frequentissimum hoc illi est, opinionibus aliorum hinc inde utramq; in partem recitatis, subticere, quæstionemq; in suspenso relinquere. quæ quidem res dubium lectoris animum magis etiam implicatum reddit. Nihilominus tamen utilis scriptor est, deq; Iuris prudentia bene meritus. Excessit ex uita non multo pòst, quàm Speculum absoluisset, iuuenis adhuc, & annum XXX non ita multum egressus.

In tit. de Instr. ed. §.1.

IACOBVS DE BELLOVISO.

HIc septies libros Feudorum publicè prælegit, & in illos demum Commentarios conscripsit. Præterea Practicam iudiciariam in Criminalibus, & librum Quæstionum edidit. Floruit circa hæc tempora.

BARTHOLOMAEVS BRIXIENSIS.

QVæstiones Dominicales & Veneriales, & præterea additiones quasdam ad Glossas Decreti conscripsit. Fuit iisdem temporibus, sed ætate senior aliquanto, quibus duo proximi.

IPHO.

IPho Britannus natione, sub Philippo Pulchro Galliarum rege (qui quidem Anno Christiano M.CC.LXXXV regnare cœpit) uiguisse traditur. Natus est claris & opulentis parentibus, qui puerum Iphonem Lutetiam primum, pòst Aureliam, studiorum, & maxime Iuris ciuilis discendi gratia miserunt. Cæterum absoluto postea scholasticorum studiorum cursu, ad suos reuersus, cum excellens eius non tantum eruditio, uerum etiam uitæ sanctimonia passim celebraretur, ab Episcopo Trecorensi accersitus, & ab eo causis audiendis præfectus est, quem Officialem nunc uulgò appellant. In hac præfectura tam innocenter, tam iuste, tam clementer, tamq; integre se gessit, ut nullius rei præter uirtutem, appe-

tens unquam fuisse, ab omnibus iudicatus sit. Erat aũt inter cæteras uirtutes eximia quadam erga pauperes miseratione conspicuus, quos suis opibus omnes quoad posset, magno studio subleuabat. Tandem circiter quinquagesimum ætatis suæ annum uita defunctus, non uulgi solũ opinione, sed summi etiam Pontificis iudicio authoritateq; inter Diuos relatus est, et eius festus dies VI *Calend. Septembris celebrari iussus. Quæ propterea hic commemoraui, ut adolescentes in illius festo die ex more declamaturi, hinc qualemqualẽ eius uiri cognitionem (cum obscura sit aliàs historia) sumere queãt: cuius ignoratio, me aliquando declamaturum ualde torquebat. Præterea indecorũ uidebatur, quem Pontifex Max. in catalogum Diuorum retulisset, eum in hunc clarorum Iureconsultorum numerum non recipere.*

DINVS.

Dinus Mugelanus, clarißimi nominis professor ætate sua fuit. Commentatus est super Digestis: super Titulum de Actionibus, in Institutis: super Titulum de Regulis Iuris, lib. VI. *eum tamen Titulum non tanquam Canonum, sed Legum peritus, explicauit. quare nunquam fere Ius Canonicum allegat, contentus eo Iure quod ipse didicerat. Nam Canonici iuris inscius fuit, si Ioanni Andreæ credimus. Sepultus est Bononiæ ad S. Dominici templum, sepulchro humili quidem, sed ob tanti uiri memoriam notißimo. Et proxime quidem iuxta ipsum Cynus sepultus est: ut non minus animis quàm nominibus inter eos conuenisse, intelligere poßis. Vixit anno Millesimo trecentesimo.*

In addi. ad Spec. de Succeß. ab int. in prin.

PETRVS DE BELLAPERTICA, IACOBVS DE ARENA, MARTINVS DE SVLMANNIS.

Eodem tempore floruerunt, Petrus de Bella pertica Burgundus, illustris Iureconsultus, qui scripsit super Digestis, super Codice, & super Institutis, et complures Disputationes. Item Iacobus de Arena, Parmensis, qui breuiter quidem, sed utiliter & docte scripsit super Digest. & Codice. Illius opiniones, ut meminit Bartholus,

In Disp. 1.

tholus, utplurimum Iuri consonæ fuerunt, & genuinum Iuris intellectũ consecutæ sunt. Item Martinus de Sulmannis. Hic in legibus (quas Bononiæ professus est) præceptor Ioannis Andreæ fuit. Nullum illius scriptum commemoratur.

RICHARDVS DE MALVMBRIS.

RIchardus de Malumbris Cremonẽsis fuit. Professus est tempore regis Roberti Patauij: Hic (Baldo teste) omnium ætatis suæ Iureconsultorum doctißimus & præstantißimus habitus est. tandem tamen in hæreseos calumniam incidit, de qua etiam condemnatu s fuit: iure 'ne an iniuria, & cuius hæreseos nomine, non satis constat. Cæterum hoc notum est, intercesßisse pro eo apud Summum Pontificem, Collegium Iureconsultorum Bononiensium: sed incassum. Quid igitur tandem actum fuerit cum eo, non legi. Multa scripsit, ut Baptista Caccialupus tradit: quorum tamen copia rara sit. Floruit Anno M. CCC.

Bal. in l. Quicunq;. C. de Epis. & cleri.

IOANNES ANDREAE.

IOannes Andreæ Bononiæ natus est, parentibus honestis quidem, attamen obscuris. Patrem habuit Ludimagistrum, sub quo octennis literas & grammatica discere cœpit. Deinde patre sacerdotio initiato, sub præceptore Bonifacio quodam Pergamense literarum studium absoluit, adeò feliciter (pro ut ea tum tempora fuere) ut ipse præceptor adolescenti prædiceret, fore ut in celebrem uirum & Doctorem euaderet. In Iuris ciuilis scientia Martinum de Sulmannis audiuit. Canonici tamen longe studiosior fuit, quapropter in eo solo suis scriptis illustrando postea elaborauit. Itaq; Glossas continuas ad librum VI. *Bonifacij* VIII. *& Nouellas Clementis* V. *conscripsit. Præterea Commentariorum uclumina duo, quæ Nouellas & Mercuriales inscripsit. Postremo autẽ opus additionum ad Speculum Guilielmi Durandi, quod edidit Anno* M. CCC. XLVII. *Fuit uir eleganter doctus, nec in Iureconsultorum tantum, uerum etiam bonorum authorum omnium scriptis diligenter uersatus: id quod multis in locis Commentariorum & Glossarum*

Vide Addit. ad Spe. tit. de fi. pres.

in Singula. 667. Alber. Bru. in secund. par. Trac. mone. Bal. in add. Spe. tit. de concess. praebe. in fi. Ioan. Calderinus. Boniccontus Bitina.

eius apparet. Hic à doctis omnibus ad coelum usque laudibus uectus est, Ludouicus Romanus omnium hominum praestantissimum appellauit. Hoc uitij tamē in tanto uiro notatum reprehensumq; à quibusdam est, quòd multa ex Consilijs Olradi Laudensis sibi, uero autore dissimulato, ascripserit: & id quidem frequentissimè. Quapropter eum Baldus, insignem furem alienorum laborum alicubi exclamat, & aliquot eius furta pródit. Caeterum hoc uitium cum nostris etiam temporibus magis ac magis inoleuerit, in quorum scriptores permultos competere uidetur uulgatum illud, Muta stylum, libriq; titulum, & efficies opus nouum: humanius in tanto uiro ferendum est. Porro Ioannem Calderinum, hominem non tantum ingenij, sed etiam indolis optimae, in filium adoptauit. quod quidem quamobrem fecerit, amore'ne Calderini, an alia de causa, obscurum est: cum alioqui & filium habuerit Bonicontum nomine (cuius de Appellationibus tractatus quidam extat) & filiam Bitinam dictam, quam collocauit Ioanni de Sancto Georgio Bononiensi, celebri Iuris Canonici Doctori. Haec sepulta est Pataui ad S. Antoniū in Circuitu, cum hoc Epitaphio:

SEPVLCHRVM DOMINAE BITINAE FILIAE QVONDAM DOMINI IOANNIS ANDREAE DE BONONIA, ARCHIDOCTORIS DECRETORVM ET VXORIS DOMINI IOANNIS DE SANCTO GEORGIO DE BONONIA DOCTORIS DECRETORVM, QVAE OBIIT ANNO DN. M. CCC. LV. DIE LVNAE V OCTOBRIS.

Tandem tempore pestilentissimo ingruente mortuus est, uir immortalitate dignus, Anno M. CCC. XL VIII. Vaticinatus ipse de morte sua uidetur, dum scribit in Additionibus suis, sub Tit. de Filijs
„ presbyterorum: Suspicor quod haec possent esse ultima mea scri-
„ pta, &c. Anno enim proximè sequente, uita defunctus est, ut ex praedictis colligi potest. Extat honorificum eius monumentum Bononiae, in templo S. Dominici, cum hac inscriptione:

Hic

Hic iacet Andreæ notissimus orbe Ioannes,
Primo qui Sextum, Clementis atq; Nouellas,
Hieronymi laudes, Speculi quoq; iura peregit:
Rabi Doctorum, Lux, Censor, normaq; morū.

OCCVBVIT ANNO PRAEDIRAE PESTIS, M. CCC. XLVIII. DIE VII IVLII.

CYNVS.

Cynus ex nobili Sigisbuldorum familia Pistorij natus, audiuit præter alios Dynum Muxellanum, quem multis locis præceptorem reuerendissimum appellat. Vir ingeniosus fuit, & diligens. Scripsit plenè super prima parte Digesti ueteris, usque ad Titulum, Si ex noxali causa agatur, inclusiuè. et in Secunda parte, super Tit. de rebus creditis. Anno M. CCC. XIII. *in die Barnabæ Apostoli absoluit Lecturam suam super Codicem, quam anno præcedenti incœperat. Scripsit autem accuratè, & illis tantum qui aliquo modo iam prouecti in hoc legum studio sunt, ut ipse quodam loco significat. De hac Cyni Lectura refert Baldus, aliquando Bartholum sibi dixisse, quod illud quod suum fabricauerit ingenium, fuerit Lectura Cyni. Et quidem maioris ille authoritatis apud plerosq; est ipso præceptore suo Dyno. Canonici iuris sectatores nonnihil exosos habuit, eosq; sæpe scriptis suis perstrinxit. De iure consultis qui Canonum quoq; suffragijs utuntur, ita alicubi scribit, quod tales manus habentes extra gazophylacium Iustinianæi thesauri, apud mendicantes merito uadunt mendicatum. Alibi scribit, Canonicos Iureconsultos fecisse sibi iura pro libitu uoluntatis suæ, & leges ciuiles eos seruare ad commodum suum, non autem contra se, propter ambitum secularis Iurisdictionis usurpandæ, et non propter aliud. Fuit tamen amicus Ioannis Andreæ, ut per eundem in Additionibus memoratur. Decessit Bononiæ, iuxtaq; præceptorem suum Dynū proxime sepeliri uoluit, in simili quo Dynus sepulchro: hoc est, humili & uulgari. Epitaphium autem utriusq; obambulantium*

l. nō modus. C. de ser. et aqua.
Bal. in Feudal.
Ias. in §. Itē Seruiana. Inst. de actio
In l. si certis. C. de pact.
In l. quoties. C. de iud.

 tium

tium hominum pedibus tempore obtritum est, ut legi non possit. Fuit & alius quidam Cynus Pistoriensis, Decretorum Doctor: sed nullo scripto inclaruit.

OLRADVS DE LAVRE.

Olradus de Ponte, patria Laudensis, sub Dyno praeceptore Iurisprudentiam didicit. Postea Aduocatus Consistorialis Romae, & demum auditor quoque causarum factus, magna in existimatione fuit: potissimum apud Ioannem XXII Pontificem Maximum, qui in arduis Reipublicae negocijs componendis, huius Olradi consilijs maxime usus fertur. Extat Conciliorum eius uolumen unum longè doctissimum. reliqua uero ipsius scripta (quae non pauca fuisse traduntur) aut interciderunt, aut alia de causa forte neglectui data sunt. Ex Consilijs huius Olradi multa Ioannes Andreas sibi ascripsit: quo solo uitio se quibusdam reprehendendum praebuit. Floruit Olradus Anno M.CCC.XX.

IOANNES CALDERINVS.

Ioannes Calderinus Bononiensis, non eruditione tantum, uerum etiam uitae integritate suo tempore celebris fuit. Itaque à multis scriptoribus praedicatur, & Doctor magnae scientiae, sanctaeq; uitae appellatur. Quae causa etiam fuit, quod illum Ioannes Andreae in filium adoptiuum sibi ex omnibus unum elegerit. Scripsit post ipsum Ioannem Andream Commentaria in Decretales, item Consiliorum opus insigne.

IACOBVS DE BVTRIGARIIS, ET REINERIVS DE FORO LIVII.

Uterque hoc tempore insignis & celebris, uterque Bartholi Saxoferrarij praeceptor fuit. Sed Iacobus quidem complures libros post se reliquit. Scripsit enim super Digesto ueteri. super Codicem quoque Lecturas duas, ueterem & nouam. Item commentatus est super Tit. de Actionibus, in Institutionibus. Edidit etiã quàm plurimas disputationes, ut refert Baptista Caccialupus. Floruit Anno M.CCC.XX. Raynerius autem & ipse commentatus

tatus fertur super Iure ciuili. Sed id in obscuro est. Decessit ex uiuis Patauij: & in Sancti Antonij, ubi nūc in Circuitu uetus marmoreum illius monumentum uidetur, sepultus.

BARTOLVS.

B. *Artolus de Saxoferrato natus est* Anno M. CCC. IX. *Puer praeceptorem habuit Petrum de Assisio, uirum doctum & eximie pium, à quo in literis & grammaticis eruditus fuit. Ad Iuris ciuilis disciplinam se contulit* Anno *aetatis* XIIII, *in ciuitate Perusina: quam tanta diligentia & industria didicit, sub praeceptoribus* Cyno *Pistoriensi, Iacobo Butrigario, et Reynerio Foroliuiensi,* [Vide ipsum Bar. et Iaso. in l. quidam cum fil. ff. de uerb. oblig.] *ut postea* XX *anno aetatis* Bononiae *de Iure publicè responderit, & anno sequenti solennia Doctoratus insignia receperit. Hic cum intelligeret praxim esse, quae omniū optime Iuris studiosorum oculos recludat, animos accendat, & iudicia absoluat, ad eam se statim primis post Doctoratum annis contulit, & diligenter illi incubuit. Itaque Assessor criminalium causarum factus, in ea functione eò usque perstitit, donec illi res sanè quàm acerba contingeret.* [Bal. in l. 1. C. qui accu. poss.] *Nam male audire coepit, quod legibus non perpensis, reum quendā male examinasset, & furcae supplicio praeter meritum condemnasset. Eius sanè rei & Andreas Barbatias ita meminit, ut ad doctrinā Bartoli, qua tradit furem pro furtis alibi commissis, etiam eo loci furca puniri posse, ubi furtum leuius, et furca non dignum postea commiserit, continere se non possit, quin exclamet, Non mirari se istum rigorem Bartoli, cum illud quod imbibimus in annis iuuenilibus, insequatur nos ad candidam usque senectam, dicente poëta: Quod noua testa capit, inueterata sapit. Et subiungit: Bartolus in annis iuuenilibus fuit iudex maleficiorum, & imbibit illam seueritatem condemnandi facinorosos. quare insequitur eum illa seueritas: & quos nō potuit perdere ore, conatus est perdere calamo.* [In c. licet. ij. de for. cōp.] *Bartolus igitur, siue cōscientia, siue calumnia illa perturbatus, relicta tali functione, rursum ad libros & studia secessit, ad locum Sancti Victoris, qui à Bononia ad* II *lapidem distat. Vbi cum in solitudine aliquandiu*

quandiu studijs priuatis incubuisset, accersitus ad profitendum, Pisas contendit. Istic igitur primo anno, ætatis autẽ suæ XXV, *edidit celebrem illam* Repetitionem Legis, Si is qui pro emptore. in Digest. *sub* Titulo De *usucapionibus: cœpitq́; statim magis ac magis inclarescere. Postea uero relictis Pisis (forsan ob statum eius reipublicæ semper turbulentissimum)* Perusium *concessit. ubi & uxore ducta, et uitæ portu constituto, reliquam ætatem profitendo transegit. Quotidianis itaque prælectionibus ibi exercitus, ad illud eruditionis gloriæq́; fastigium excreuit, ut dum uiueret, et summi* Iurisperiti *nomen solus in uniuersa* Italia *haberet, & ad illum audiendũ undiquaque maximus omnium studiosorum concursus esset: & denique mortuus, per elaboratissima sua scripta incomparabilem propè famam, & memoriam sempiternam sit consecutus. Ab hoc plurimi profluxerunt, qui profitendo scribendoq́; post eum clarissimi*

In c. 1. de succeß. feu.

fuerunt. Ex illis *præcipuus fuit* Baldus Perusinus, *qui refert,* Bartolum *semper tenuisse opiniones placentes* Laicis *(hoc est, ut ego intelligo, quæ semper sensui & intellectui communi accesserint) quod opinionibus suis multũ honoris conciliauerit. Illud memorabile est, quod traditur eum toto quinquennio in* Repetitione legis De ætate, Digest. Tit. De *minoribus, absoluenda elaborasse. Quem* Bartholi *morem utinã qui hac ætate cõmentantur, ex aliqua parte imitari dignarentur. pauciores haberemus libros, sed utique meliores, expolitioresq́;.*

Ro. sin. 713 alijs, mi. 704.

Est præterea qui scribit, Bartholum *ad pondus comedere solitum fuisse, ut intellectum haberet pariter dispositum, & nunquam alteratum. quod non ridebit, qui* Italicorum *professorum in ingenio fouendo curam & studium cognitum habet.* Diplouatatius *autem hoc de* Bartholo *commemorat, quod memoriã non satis firmam fidelemq́; habuerit, adeò ut si aliquid commentaretur, neque leges in promptu reperiret,* Franciscum Tigri Pisanum *(qui eodem tempore legit* Perusij, *& ipsi intima amicitia erat coniunctus) solitus fuerit accedere, qui locos illi indicarit, & leges suppeditauerit. Habebat enim hic* Franciscus *magnam* Singularium *rerum memoriam, ut de ipso* Baldus *refert. Et sanè* Angelus *quoque*

Franciscus Tigri Pisanus.

&

& Castrensis testantur, Bartholum ex dictis Francisci Tigrini magnum sibi honorem comparasse, exiguum autem ipsi Francisco, ut quem aut nunquam aut rarò nominaret. Reprehenditur autem Bartholus aliàs quoque hoc de uitio, quod similiter ueterum quoq; nomina tacuerit, & illorũ inuenta sibi sumpserit, præcipue autẽ Nicolai de Maturellis Mutinensis antiq Doctoris, cuius permultas opiniones sibi ascripserit. Sed ita pfectò res habet, quod nullũ tam excellens perfectũq; ingeniũ fuit unquam, quin suos habuerit æmulos et osores: et eo quidẽ plures infestioresq;, quo ipsum est cæteris præstantius. Equidẽ nec ingeniũ, nec memoriã Bartholo defuisse, facile iudicare potest, qui consideret et Hebraicas ipsum literas & Mathemata (quorũ usum ad Ius quoq; ciuile in Cõmentarijs suis induxit) perdidicisse, et pluriũ disciplinarũ quàm Iuris ciuilis peritiã habuisse. Scripsit doctissima Commentaria super totum propè Ius ciuile. quæ autem illius nomine supposita sint lectoribus, & quæ suspecta doctis, cum præter cæteros Iason quoque in l. Quidam cum filium. Digest. de Verb. obliga. recensuerit, nihil opus est hic commemorare. Huius Bartholi excellentem doctrinam, ipse quoque Romanorum Imperator Carolus IIII suspexit, eaq; de causa & ipsum & omnem eius posteritatem insignibus, & alijs egregijs beneficijs ac priuilegijs illustrauit. Fuit Bartholus sani iudicij et animi, uitæq; integræ. Filiam habuit, quam in matrimonium tradidit Nicolao Alexandro, uiro docto & Iureconsulto. Mortuus tandem est Perusij, Anno ætatis suæ XLVI. Anno uero Domini, M. CCC. LV.

In l. Si quis seruo. ff. de solu.

Bal. in l. prec ib. C. de Imp. et al. Sub.

Ipse Barth. in lib. de Insig.

ALBERICVS.

ALbericus Rosates Bergamensis, æqualis Bartholi fuit. ipsius tamen Commentarios Bartholus non uidit: Albericus autem Bartholi uidit, cum aliquoties locos ex illis citet. Fuit uir excellenter doctus, & magnus (ut Iason scribit) Practicus: cui plus quàm alteri Doctori deferunt Aduocati Mediolanenses. Reliquit doctissima Commentaria super Digestis, & Codice item De statutis uolumen I. item Dictionarium in Iure ciuili lib. I. Floruit Anno Millesimo trecentesimo quinquagesimo.

In l. I. ff. de no. ope. nunci. et alijs locis. et Bart. in tract. de præsc. car. in ij q. par. 2.

Petrus de Vbaldis nobilis Perusinus, artium & medicinæ Doctor, tres sustulit filios, Baldum, Angelum, & Petrum, quos singulos longe diuerso consilio, quàm quo ipse uitæ studia erat ingressus, non Medicinæ, sed Iurisprudentiæ mancipauit. Quapropter non ipsos tantum longe celeberrimos Iureconsultos uidit, & gloriæ fructum, quem sperauerat, ex illis percepit: uerum etiam familiam suam omnem hac scientia longa posteritate insignem post se reliquit. Siquidem ex Baldo Zenobius & Franciscus, ex Angelo Alexander, & Angelus nepos: ex Petro uero Matthæus, & Petrus & Baldus nepotes: ex Baldo porro Nicolaus, Matthæus, & Sigismundus pronepotes, omnes ferè Iureconsulti, descenderunt. Vt igitur ad Baldum reuertamur, audiuit ille adolescentulus Ioannē Pogliarensem, quem uocat primum Doctorem suum. Item Franciscum Tigrinū Pisanum, uirum magnæ memoriæ & doctrinæ, sanctæq́; (ut alij tradunt) uitæ. Et Bartholum de Saxoferrato, quem scribit multum ingenio suo contulisse, et præ reliquis illis tanquam præceptorem suum in multis locis prædicat & extollit. Fuit autem Baldus tam maturo feliciq́; ingenio, ut XVII statim anno publicè repetierit legem Centum Capuæ, Digestis De eo quod certo loco.

In c. si uasallus. Tit. si contro. fu. inter do. et ua.

Postea cum studiorum suorum legitimum tempus absoluisset, ac solitis Doctoratus insignibus esset ornatus, Bononiam profitendi causa concessit, Anno M.CCC.XLIIII. Et quia illuc Bartholus quoq; aduenerat, eo præsente Baldus publicè disputauit Quæstionem illam Senis quoque à se antea (fortè in transitu) disputatam, uidelicet, Vtrum municipes alicuius loci statuere possint: quod non possit fieri appellatio, nisi ad iudicem illius loci. In qua quidem disputatione (ut ipse refert) opposuit se illi Bartolus, & acerrimus antagonistes ab hora XVI usque ad horam XXI cum eo contendit. sed tandem uictus discessit. Fuit autem & aliàs uehemens altercatio inter eosdē de Textu Parag. ultimi, Legis Si creditor. Digest. de distr. pig. cum Bartolus in suo codice haberet Nullam uenditionem, Baldus uero Vllam uenditionem. Adeoq; tum in ea contentione animis exarserunt, ut missum sit Pisas, et ueteres Pandectæ istic inspectæ, quæ

Fel. in Rub. de Magist.

In tractat. Iudiciario. Rub. de App.

Alex. in l. si filio. §. fi. ff. Solu. matr.

quæ cum codice Bartoli consonarunt. Quanquam autem complures autores huius altercationis meminerint, difficulter tamen induci possum, ut illis fidem adhibeam, cum ipse Bartolus in dicta L. Si creditor, & alibi, non aliter eius rei mentionem fecerit, quàm his uerbis: Cum semel haberemus hanc quæstionem, misimus usq; Pisas, ad librum Pandectarum, &c. quem uix crediderim adeò modestum esse potuisse, si cum Baldo illi res tam odiose fuisset. Multo minus uerisimile illud est, quod quidam commenti sunt, Baldum tũc complures aliorum codices corrupisse, expungendo literam N. & ob id fustigatũ, patriã suam Perusiũ reliquisse, his Scipionis Aphricani uerbis: Ingrata patria, ne ossa quidẽ mea habebis. atq; ita quasi in exilio consenuisse, mortuũq; esse. Qui enim potuisset Baldus ad eũ modũ insanire, ut codices corrumperet? Quàm excellentis autẽ & propè diuini fuerit ingenij Baldus, cũ ex scriptis illius manifestissimũ sit, nihil opus est referre. Eruditionẽ in illo ampliorẽ nemo. sed constantiã cõplures desiderarunt. Variauit enim persæpe, et contraria inuicẽ pugnantiaq; multis in locis scripsit. Sed humanũ est hoc uitium, non semper dictorum meminisse, & causæ interdum inseruire. Imò uero ne poßibile quidem uidetur, ut qui polygraphus est, (qualis Baldus fuit) idem per omnia sibi constare poßit. Exempla in promptu sunt. Sed illi forsan non tam uitium illud, quàm eius crebritatem in Baldo reprehendunt. Fuit autem Baldus non Ciuilis tantum, sed & Pontificij Iuris doctißimus: id quod pauci ex æquo præstare potuerunt. Itaque miratur alicubi Ludo. Romanus, quod eũ tam magnum Canonistam fugerint aliqua capitula, &c. Cum igitur maximi nominis esset in tota Italia, accersitus tandem est à Ioanne Galea Mediolani Duce Papiam, ubi compluribus annis publicè professus est. Edidit multa uolumina in Iure ciuili, & in iure Canonico. Allegantur etiã quædã, quæ cum operib. suis impreßis non inueniuntur, puta liber quem Peculium inscripsit: & Tractatus de Commemorationibus famosißimorum Doctorum in utroque Iure, & quædam alia. Professus est ad extremam usque senectam. Nam tum temporis cum Cõmentaria in Feudales libros pararet, XLVII

In l. Filius familias. §. Diui. De leg. 1.

Bart. in c. pœnitentia. de proba.

In l. admonendi. ff. de iureiu.

annis prælegerat, ut ipse refert in eorum Commentariorum præfatione. Et tamen ibi subiungit: Quod si ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus profectò nihil me intellexisse agnosco. Hæc ille iam senio confectus, & per omnem ætatem in Iuris scientia diligentissime uersatus, uerè agnoscere potuit: nos hac ætate agnoscere non possumus, qui nobis nescio intra quot menses Iurisprudentiam arroganter et stultè pollicemur. Filios duos habuit, (ut tradit Iacobus Philippus Bergomensis in Chronicis) Zenobium, qui & Equestribus ornamentis & Doctoratus insignibus donatus fuit: et Franciscum, & ipsum utriusq; Iuris Doctorem. Mortuus tandem est Anno M.CCCC.XXVIII *die Aprilis. & Papiæ in templo Sancti Francisci (inter cuius familiam adoptari, eiusq; habitu sepeliri uoluit) sepultus est. Extat marmor primi sepulchri sui, in eodem templo, habens inscriptionem aliquot uersuum, quorum postremi sunt,*

Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina conditus arce.

QVI OBIIT ANNO M. CCCC. DIE XXVIII
APRILIS IN AVRORA.

Inde enim iuxta summum altare transportata ipsius ossa sunt, ubi in alio saxo legitur hoc epitaphium:

BALDVS EDITIOREM LOCVM SORTITVS, HIC OCTO ET DECEM SVPRA CENTVM ANNIS OBDORMIVERAT.
M. D. XIX.

ANGELVS PERVSINVS.

Ipse Ang. in l. 1. §. pueritiam. ff. de postu.

In tract. Suitatis.

A*Ngelus de Vbaldis Perusinus, iisdem præceptoribus quibus & frater, Ius ciuile didicit. Anno* XXIII *suæ ætatis Doctoratus insignia sumpsit, & publicè profiteri cœpit. Non indignus fratre suo Baldo fuit: ingenio inferior, eruditione par, acri omnino et solido iudicio præditus. Itaque Ioannes Pyrrhus hunc inter Triumuiros Iurisprudentiæ cum Bartholo & Paulo Castrense nominauit.*

minauit. Reliquit doctißima Cōmentariorū & Consiliorū opera, quibus Ius ciuile maiorē in modū illustrauit. Mortuus est Florentiæ, eodē anno quo Baldus frater suus, relicto post se unico filio Alexandro, legum pfessore. ex quo Angelus secundus, istius Angeli nepos postea prognatus est. Ille à maiorū uirtute neutiquā degenerans, in celebrem Iuris professorē euasit. & cū publico salario multis annis Patauij professus esset, à Sixto Pontifice Maximo Romā uocatus, & in Aduocatorum Consistorij Pontificalis numerum ascitus est.

PETRVS DE VBALDIS.

Tertius deniq; frater, Petrus de Vbaldis, pari propemodum dexteritate fratrum uestigijs ingressus, post legitimum studiorum tempus absolutum, & ipse utriusq; Iuris Doctor creatus est. Cum tamen Canonici Iuris studiosior eßet, quàm Ciuilis, in eo solo elaborauit, & eruditionis suæ multa monumenta reliquit, ut traditur. Ex hoc natus est Matthæus Vbaldus, uir equestri postea dignitate insignitus, et omni scientiarū genere instructus. Qui duos porro filios procreauit: Petrum, qui utriusque Iuris professor fuit: & Baldum, qui etsi Iureconsultus non esset, prudentia tamen & consilijs inter primos patriæ suæ proceres habebatur. Hic Baldus aui sui Petri Vbaldi felicitatem consecutus est, trium doctißimorum filiorum succeßione, Nicolai, Matthæi, & Sigismundi. quorū primus Rotæ auditor, alter publicus Perusij legum professor fuit.

Matthæus Vbaldus.

Baldus.

BARTHOLOMAEVS DE SALICETO.

Bartholomæus de Saliceto, Bononiensis, eodem cum proximè prædictis tempore extitit. Professus est Ius ciuile quatuor annis Patauij. Deinde cum in pestifero illo schismate Romanæ Ecclesiæ per Bonifacium VIII Papam, & Benedictum Antipapam, continuato, tota ferè Italia bellis & seditionibus uexaretur, Bononiam in patriam se recepit. Ibi Anno M.CCCC LXXXII. mense Maio, exorsus est Commentaria sua in IX libros Codicis: quæ sequentibus annis iuxta publicas prælectiones absoluit. Professus est autem magna cum laude, & inter sui temporis Doctores

cum primis fuit. De hoc scribit Iacobus Philippus Bergomensis in Chronicis, quod Alberto Estensi Ferrariæ Marchioni, cum apud eum magno esset in precio, primus author & suasor fuerit, ut à Bonifacio Pontifice priuilegiũ impetraret Scholæ publicæ in urbe Ferraria constituendæ. Mortuus est Bononiæ, iam senex, et ad Sanctũ Dominicum sepultus. ubi in Choro extat illius monumentum, cum hoc Epitaphio:

Hoc tumulo legalis apex, dulcissimus ore,
Et patriæ lux alma suæ, pietatis amator,
Iustitiæq́ sacræ clypeus, baculusq́ cadentis,
Qui iuuenis, multoq́ etiam uenerabilis æuo
Edocuit: superauit eum nec pena laboris
Scribendo, & pariter Iuris nucleando tenebras,
De Saliceto requiescit Bartholomæus.

PETRVS DE ANCHARANO.

PEtrus de Ancharano, Bononiensis, et auditor Baldi fuit. Scripsit in Decretales, Sextum, & Clementinas. item in aliquot potiores Regulas Iuris, in VI. Scripsit quoque in Digest. uetus, & Digest. nouum, ut Caccialupus refert. & opus præterea Consiliorum. Fuit Iureconsultus excellens, & magnæ existimationis. Floruit tempore Saliceti. Mortuus est Bononiæ, & in Sancti Dominici sepultus, ubi monumentum illius extat, cum longiusculo epitaphio, quod tamen mortis tempus non exprimit.

ANTONIVS DE BVTRIO.

ANtonius de Butrio, et ipse Bononiensis, uir excellens, sanctaq; uitæ, & Doctor omni ueneratione dignus fuit, ut inquit Caccialupus. Fuit æqualis Ancharani. Scripsit in Decretales, & Clementinas. item Opus Consiliorum. Et secundum eundẽ Caccialupum, duo pulchra Repertoria: unum in Iure Canonico, alterum in Iure Ciuili. Mortuus est Anno M. CCCC. VIII. No. Octob. ut habet Epitaphium ipsius, quod Bononiæ ad S. Michaëlẽ in Monte (si bene memini) ubi sepultus est, extat.

CHRISTO

ET RAPHAEL VTERQVE.

CHristophorus de Castiliano Mediolanensis, eodem tempore excellens Iureconsultus fuit, acri magnoq; ingenio praeditus, & subtilitatum (ut eum Iason uocat) princeps. Itaque, ut ferè assolet, ingenij sui facilitate, & doctrinae fiducia, ut olim Antistius Labeo, fretus, multa innouare, & receptas in Scholis opiniones ubicunque posset magno studio labefactare instituit. Hunc morem Raphaël Fulgosius Placentinus, & alter Raphaël Comensis, eius discipuli postea secuti, innouationes illas magis ac magis auxerunt. Fuerunt isti duo illustres Iureconsulti. Claruerūt Patauij, Anno M. CCCC.XX. ubi in templo S. Antonij magnificum extat Fulgosij monumentū: cuius epitaphium tamen mortis tempus non meminit.

In l. Admonendi.

Raphaël Fulgosius, & Comensis.

IOANNES DE IMOLA.

IOannes de Imola eodem hoc tempore extitit. Scripsit in tres priores libros Decretalium. item in Sextum, & Clementinas. In Iure uero ciuili scripsit in Digest. Inforciatum, ut refert Caccialupus. Est cum primarijs interpretibus Iuris, & fuit praeceptor Alexandri Imolensis. Obijt Anno Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, XVIII die Februarij.

PAVLVS DE CASTRO.

HVius Imolēsis aequalis fuit Paulus de Castro, Iureconsultus doctissimus, & in tota Italia celeberrimus. Professus est Florentiae, Bononiae, & Patauij: ubi tandem & uita defunctus est. Multa praeclara & eximiae authoritatis scripta post se reliquit. In libros Digestorum, & Codicem, Commentaria: item uolumen Consiliorum. Mortuus est anno M.CCCC.XXXVII, paulo post Ioannem Imolensem. Reliqua ex eius Epitaphio, quod illi satis ornatū Nicolaus de Castro eius ex filio nepos in templo Seruitarum Patauij, iuxta monumentum posuit, colligi possunt. quod ita habet:

PAVLVS DE CASTRO IVRECONSVLTVS DISERTISSIMVS, MAXIMAE AVTHORITATIS APVD OMNES HABITVS, QVOD FLORENTIA TESTA

TVR,

TVR. CVIVS IVS MVNICIPALE INNOVAVIT, ET IN EA CONIVGATVS PETRAE VXORI, VICARIATVS OFFICIVM IN SPIRITVALIBVS RO. PONTIF. DECRETO EXERCVIT. VBI ETIAM IN BONONIENSI ET PATAVINO GYMNASIO PVBLICE PROFITENDO FLORVIT, AETERNAMQVE SIBI GLORIAM COMPARAVIT, RELINQVENS CONSILIORVM ET IN IVRE VOLVMINA PLVRIMA AEDITA, QVAE INTRA MANVS VERSANTVR. ET IPSIVS ANGELVS FILIVS CLARVS INGENIO, AMBORVM IVRIVM TENENS FASTIGIA XL ANNOS PATAVII IVRA DOCVIT, EOQVE NICOLAVS CANONICVS PADVA, QVI AB HIS PROCESSIT, VTRAMQVE ET IPSE PARENTVM VIRTVTEM ADEPTVS, HOC IMMORTALITATIS OPVS ILLIS CONSECRAVIT. M. CCCC. XCII.

PANORMITANVS.

Nicolaus Siculus, Abbas primũ Monacensis, inde Archiepiscopus Panormitanus fuit. Vnde fit, ut diuersis cognominibus cõmuniter allegetur. Magnæ eloquentiæ et doctrinæ fuit: quæ utraque si unquam aliàs, certe in Concilio Basiliensi, in eo summè enituerunt. Professus est Anno M.CCCC.XXV, *& aliquot multis sequentibus, Ius Canonicum in Schola Senensi. Edidit Commentaria in Decretales utilißima. Multa præterea Consilia, Repetitiones, Disputationes. Mortuus est (si bene memini) non multò pòst, quàm ex Concilio in Italiam rediisset.*

Sylvius in gestis Conc. Basiliens.

ROMANVS.

Ludouicus Pontanus, patria Spoletinus, & tandẽ ob id quod Romæ commoraretur Romanus dictus, Ioannis Petrucij celeberrimi apud Perusinos Iureconsulti, & Ioan. de Imola auditor fuit. Senis & ipse Ius ciuile aliquot annis professus, inde Romam

commigrauit. ubi maxima in existimatione habitus est. Panormitano singulari amicitia coniunctus fuit, cum quo postea Basileam ad Synodum profectus, istic morbo pestilenti correptus, mortẽ obijt, iuuenis admodum, & uix XXX ætatis annum tum egressus, ut commemorat Aeneas Syluius in Historia Basiliensis Cõcilij, cuius operæprecium est integra uerba huc ascribere. Finitis, inquit, Pa- “
normitani uerbis, Ludouicus Romanus Protonotarius, totius huma- “
ni Iuris gnarus assurrexit. Cuius tanta memoria fuit, ut nulli ueterũ “
cedere putaretur, siue Simonidem, siue Theodecten, siue illum qui à “
Pyrrho missus ad Senatum uenit Cyneam, siue Carneadem Seri- “
phium, Metrodorum, Hortensium, siue qui horum ultimus fuit Lu- “
cium Senecam de diuinitate memoriæ cõmendemus. Erat enim me “
mor omnium quæ ipse unquam aut legisset, aut audiuisset: nec ob- “
litus erat eorum aliquid, quæ ipse uidisset. Nec ut cæteri Iuriscon “
sulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem le “
geret, sic Textum memoriter referebat. Vir non Roma tantum, sed “
cœlo dignus: & cui nemo mortalium comparandus uideretur. non “
admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si ut æquum uide- “
batur, ætatis tempora duplicasset. Sed inuidit fortuna Italiæ, nec “
tantum scientiæ lumen crescere passa est. Immisit pestiferum mor- “
bum, uirumq; uix XXX egressum ætatis annum abstulit. nec plus “
horis sex & triginta siuit ægrotare. Visusq; non transitus ille homi “
nis, sed furtum. Quis enim uirum adeò iuuenẽ, adeò robustum, tam “
breui morula expirare putasset? Sed fuit mors damnosior morte cu “
iusuis regis: quippe quod regi hæres succedit in regno, uiro autem “
adeò docto nullus superest in literis hæres. Sed dũ Cardinalari uir “
bene meritus manet, apud Carthusiam sepelitur. Hæc ille. Reliquit “
doctissima ingenij sui monumenta, Comment. in Digest. & Codicem. Consiliorum uolumen I. Singularium lib. I. & quasdam Repetitiones. Mortuus est Anno M. CCCC. XXXIX, ut indicat eius Epitaphium, quanquam nimis iam attritum etiam, quod extat apud Carthusianos, in hæc uerba:

ANNO DOMINI M. CCCC. XXXIX.

REVERENDVS IN CHRISTO PATER DN. LVDOVICVS PONTANVS DE ROMA, VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR EGREGIVS S. SEDIS APOSTOLICAE PROTONOTARIVS, CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Reperitur & aliud Epitaphium in eundem ab Aenea Syluio conſcriptum, quod ita habet:

Si mille, aut totidem rapuiſſes uſq; uirorum,
 Peſtis, adhuc poteram parcere ſæua tibi.
Viuens quo nuſquam fuerat præſtantior alter,
 Extinctum potius reddis iniqua lues:
Quem fletis Leges, quem fletis Iura, ſacriq;
 Nunc Canones: obijt, quem coluiſtis, herus.
Hic uos ornarat, ueſtras ubicunq; fuerunt
 Soluerat ambages: nunc ſine uoce iacet.
Heu uoces, heu uerba uiri diuina, memorq;
 Ingenium, quo uis nunc tua multa loco eſt?
Heu Romane iaces, quo nec Romanior ullius
 Antè fuit, quo nec forte futurus erit.
Te pater, & charus retur modò uiuere frater,
 Heu quantos gemitus ille uel ille dabit.
Te Roma, atq; omnis plorabit Etruria, teq;
 Tota petet lachrymis Itala terra pijs.
Te nunc Concilium, te nunc ululatibus unum
 Ipſa quoq; extinctum quæritat Eccleſia.
Heu uanas hominum mentes, heu pectora cæca:
 Cuiq; dies certum eſt fata dediſſe ſuos.
Et nos cum Superi ſtatuent, ueniemus ad illos:
 Nemo parum uixit, cui bona uita fuit.

IOANNES DE ANANIA.

IOannes de Anania Bononienſis, ibidem in patria Archidiaconus, & Canonici Iuris profeſſor publicus annis compluribus fuit. Scripſit in Decretales, reliquit item Conſiliorum uolumen I.

Hunc

Hunc Andreas Siculus in Tracta. de Testibus, uocat Sanctæ uitæ dominum suum, semper merito honore obseruandum. Mortuus est, Anno M.CCCC.LV.

ALVAROTVS.

EOdem ferè tempore uita defunctus est apud Patauinos Iacobus Aluarotus, ex familia Aluarotorum ibi natus. Præceptore in Iure ciuili primum usus est Bartholomæo Saliceto. in Iure uero Canonico, Francisco Zabarellæ, celebri Iuris professore, qui tandem Cardinalis fuit. eum compatrem quoque suum appellat. Fuit XXX *annis in Iureconsultorum Collegio Patauij. Sed* XVI *tantum annorum meminit, quibus continuè prælegerit, incertum Patauij'ne an alibi. Tum enim cum Cõmentarios Feudales Vniuersitati dedicaret, in professorum numero se non fuisse, in ipso operis limine significat. Mortuus est Anno* M. CCCC. LIII. *ætatis suæ (ut Bergo. tradit) anno* LXVIII. *Sepultus est in tẽplo Sancti Antonij, ubi iuxta sacellum Sancti Ioannis in Tabula legitur hoc Epitaphiũ:*

AMICE QVI ISTAC TRANSIS, ETSI PROPERAS, LAPIS HIC TE ROGAT, VT PAVLISPER INHAEREAS, ET HAEC SCRIPTA LEGAS. HAC IN BASILICA BEATI IOAN. BAPTISTAE SVNT IACOBI ALVAROTI PATAVI INSITA OSSA. QVI DVM VIXIT, SVO STVDIO ET DOCTRINA POST SVSCEPTAS DOCTORALES INFVLAS, COMMENTARIOS VTILES CVM REPERTORIO IN IVS FEVDALE FORMAVIT: EOSQVE VENERANDAE VNIVERSITATI IVRISTARVM DONAVIT. VOLVI VT ISTA NON IGNORES, ET PRO ANIMA IPSIVS ORES. OBIIT AVTEM

DIE LVNAE, XVIII IVNII

ANNO M. CCCC. LIII. V. F.

Ioannes Petrutius.

PHilippus Corneus Perusij natus est, ex nobilißima istic & uetustißima Corneorum familia. Domi à priuatis præceptoribus literis & artibus feliciter institutus, cum XII annum excesßisset, & ultra ætatẽ animo et iudicio maturesceret, statim se ad ius ciuile discendum contulit. Audiuit Ioannẽ Petrutiũ, qui tum mane prælegebat. Is Petrutius Perusinus erat, uir nobilis, professor doctißimus, & tum temporis celeberrimus. Multi illum clarißimi uiri audiuerunt: inter quos fuerunt, Ludouicus Pontanus, Ioan. Baptista Caccialupus, & hic Corneus: qui eius postea gener factus est, ut dicetur. Excesßit autem è uiuis Anno M. CCCC. LXII. Tantam autem eximia diligentia sua Iuris scientiã paucis annis Corneus consequebatur, ut præter alios, ipsius quoque præceptoris animum in admirationem & sui amorem pertraxerit. Itaque Petrutius illi tum adhuc discipulo suo, filiam cum magna dote despondit, ex qua postea Philippus VI liberos sustulit, III masculos, et totidẽ femellas. Cum autem posthæc, solennia Doctoratus insignia recepisset, statim suspici, prædicari, & celebrari cœpit. Primo enim Perusij cum aliquandiu professus esset, à multis undiq; Gymnasijs expetitus accersitusq; fuit. Inprimis autem Ferrarienses non destitere, donec illum maximis propositis præmijs ad sese pellexissent. Sed paulò pòst indignabundis Sixti summi pontificis literis reuocatus, & Perusium redire coactus est. Verum cum status Perusinæ reipub. nescio quibus ex causis turbaretur, obtinuerunt ab eo Florentini ut in Pisana schola ius ꝓfiteretur, uidelicet ut illa iam collapsa, illius fama rursum instauraretur, et illustraretur. quod quidẽ sedulo per trienniũ præstitit. Cæterũ cum illũ Perusini sui maximopere desiderarent, per Pontificẽ Romanũ iterum effecerunt, ut ille Perusium retraheretur. Ex eo autẽ tempore quo istuc redijt, celeberrimus semper non modò profitendo, sed et consulendo et patrocinando factus atq; habitus est. Studiosißimus per omnẽ ætatem fuit, & laborum tolerantißimus. Professus est annis circiter quinquaginta. Reliquit Cõmentaria in Codicem, & quatuor uolumina Consiliorũ. Mortuus est tandẽ Anno ætatis LXXVII. superstite uxore & liberis.

ALEX-

Alexander de Tartagnis, patria Imolensis, Ioannis de Imola popularis sui, & Ioannis de Anania discipulus fuit. Doctor utriusq; Iuris XXI anno ætatis suæ creatus est. Ius ciuile prælegit aliquot annis Patauij, ubi Concurrentem habuit Bartholomæum Cepollam Veronensem. Cum hoc acerrimam habuit contentionem, præcedendi causa, cum Cepollæ, quanquam seniori, cedere nollet, et fiducia doctrinæ ille se anteponeret. Professus est item Ferrariæ: & demum Bononiæ, ubi reliquam ætatem transegit, & eam scholam nominis sui celebritate ita illustrauit, ut quicquid usquã Iuris studiosorum esset, istuc confluxerit. Absolutißimam doctrinam, et summam in docendo gratiam habuit. Publicè annis XXX ferè docuit. Conscripsit egregia opera, quæ nota sunt. Exceßit è uiuis Anno M.CCCC.LXXVII. ætatis uero suæ LIII. relictis tribus filijs: quorum maior natu Antonius, & ipse patris exemplo utriusq; Iuris Doctor fuit. Extat ipsius Alexãdri magnificentißimũ monumentum, ex candido marmore elaboratißimum, in templo S. Dominici loco conspicuo positum, cum hoc Epitaphio:

ALEXANDRO TARTAGNO IMOLENSI LEGVM VERISSIMO AC FIDISSIMO INTERPRETI, Q. V. AN. LIII. FILII PIENTISS. P. OPT. B. M. POS. OBIIT ANNO M. CCCC. LXXVII.

FELINVS.

Felinus ex nobili Sandeorum familia Ferrariæ natus, ibidem in patria Ferraria, & Pisis publicè multis annis Ius ciuile, tanta diligentia, tantoq; iudicio docuit, ut suo tempore omnibus propemodũ professoribus fuerit prælatus. Itaque & plurimos auditores sectatoresq; habuit, & celeberrimi in Italia nominis fuit. Qua de causa Innocentius octauus eum Romam accersitum, in Collegium Rotæ legit, multis'que insuper dignitatibus auxit. Reliquit doctißsima ingenij sui, & longe utilißima monumenta, quæ nota sunt.

IOannes Maria Riminaldus, et ipſe Ferrarienſis, Alexandri Imolenſis auditor & diſcipulus Ferrariæ magna cum laude Ius ciuile profeſſus eſt. Extant illius aliquot ſcripta. Mortuus eſt Anno M.CCCC.XCVI. *ætatis autem* LXIII. *Inq; Sancti Franciſci templo ingenti funeris pompa ſepultus.*

IASON DE MAINO MEDIOLANENSIS.

HIs ſucceſſit Iaſon de Mayno, Patricius Mediolanenſis, Catonis Sacci Papienſis diſcipulus, qui compluribus annis Patauij publicè profeſſus eſt. Poſtea Papiam quaſi in patriam, à Ludouico Sfortia Mediolani Duce reuocatus, & ab eo inter Ducales Senatores relatus, ad finem uſque ſuæ uitæ XX *amplius annis iſtic prælegit. Erat uir magni ingenij, cæterarum quoque artium, Rhetoricæ puto & Philoſophiæ non ignarus. In iure uero ciuili in Italia cum Carolo Ruino, & Decio, facile princeps ſuo tempore fuit. Commentaria ſua nota ſunt. Mortuus eſt anno* M.D.XIX. *menſe Aprili. Papiæ extra urbem in Cœnobio S. Pauli ſepultus. Eius Epitaphium (ſi bene memini) ita habet:*

HIC REQVIESCIT IASON MAYNVS,
QVISQVIS ILLE FVIT.

Sed & aliud Epitaphium eius extat, longe id quidem elegantiſſimum, in hæc uerba:

Quis iacet hoc hoſpes tumulo? Quis? Summus Iaſon.
Ille'ne Phryxeæ uellere diues ouis?
Clarior hic illo longe eſt. Quis'nam oro? Maynus,
Excellens Iuris gloria Cæſarei.
Non fuit hoc quiſquam Iuris conſultior alter,
Qui extinctum poſſet reddere ius melius.
Sed tamen hoc ſummi uetuit mens dia parentis,
Cæſaribus cupiens uſque fauere ſuis.
Te audijt, ô nimium fœlix, qui iura legentem,
Damnantemq; acri plurima iudicio.

Nec

Nec tamen infœlix, tua qui monimenta reuoluit,
  Et memori condit lecta, fouetq; sinu.
Et quanquam obloqueris plebs inuida, solus Iason
  Hic legum nodos difficiles soluit.
Amborum sic fama omnem uulgata pro orbem:
  Ille nitens belli laude, sed iste togæ.

DECIVS.

EOdem tempore floruit Philippus Decius, et ipse Mediolanensis, qui suo tempore inter Iuris ciuilis principes professores, et in celeberrima fama fuit. Annis triginta cum Ius ciuile in celebratissimis quibusq; Italiæ Gymnasijs professus esset: (nemo enim pluribus in locis eruditionis suæ lumen ostentauit) nescio quo infortunio coactus est in Galliam profugere. Ita nanque ipse in Consiliorum suorum dedicatione apud Narbonensem Archiepiscopum conqueritur, se post rerum suarum omnimodam iacturam, non sine maximo uitæ discrimine, Lugdunũ confugere compulsum: quanquam non solum à crimine, uerum etiam criminis suspicione uacuum. Proinde egenum, inopem, à patria eiectum, fortunis omnibus absq; sua culpa spoliatum se præter spem (unicum miserorum solatium) nihil reliquum habere. Hæc autem perpessus est, regnante tum Carolo VIII *Gallorum rege, qui mortuus est Anno* M. CCCC. XCVIII. *Sed inde postea per rempublicam Florentinam reuocatus, multis annis iterum Pisis, & postremo Senis professus est, prosperrimam rursus fortunã consecutus. Quare ad solatium utriusq; fortunæ, suiq; perennem memoriam, magnificentissimũ ex candido marmore, & ornatissimum monumentum (cui imposita est ex aperto libro docentis simulachrum) in campo quem uocant Sanctum, Pisis extrui sibi uiuus curauit. Cui ex eodem marmore subiuncta est tabula, hanc continens inscriptionem:*

PILIPPVS DECIVS, SIVE DE DEXIO, MEDIOLANENSIS IVRISCONSVLTVS CELEBRI FAMA NOTISSIMVS: CVM PRIMVM LOCVM STVDII IN IVRE CANONICO VEL CIVILI TENVISSET

PISIS: SENIS: FLORENTIAE: PADVAE: PAPIAE: DEMVM VLTRA MONTES IN GALLIA: REVOCATVS IN ITALIAM AB EXCELSA FLOREN TINORVM REPVBLICA: POSTEAQVAM STIPENDIVM MILLE QVINGENTORVM AVREORVM IN AVRO PRO LECTVRA CONSECVTVS FVISSET: DE MORTE COGITANS HOC SEPVLCHRVM SIBI FABRICARI CVRAVIT. NE POSTERIS SVIS CREDERET.

Ex prædictis colligi potest, nõ modò pluribus in locis, uerum etiã pluribus annis eum publicè professum esse, quàm quisquam alius unquam in Italia Iureconsultus. Si enim ante mortem Caroli regis XXX *annis iam erat professus (qui, ut dictũ est, Anno* XCVIII *obijt) & postea quoque ad annum usque* M.D.XXXV *professus fuerit, sequitur eum circiter* LXV *annos publicè docuisse. Reliquit in utroque Iure scripta doctißima, & præterea Consiliorum libros* IIII. *Mortuus est tandem Senis, prædicto Anno* M.D.XXXV.XII *Die mensis octobris. Cuius postea corpus Pisas ad illud monumentum suum translatum est.*

SALIMONIVS.

MArius Salamonius Albertisthus Eques Romanus per eadem tempora uiguit. Auditor fuit Baptistæ Caccialupi. Ius ciuile non tantum docuit, uerum etiam administrauit. Egit enim aliquandiu præsidem Campaniæ, ut ipse quodam in loco commemorat. Inde Romam reuersus ad Iuris professionem est, ubi auditores multos, magnamq; existimationem apud omnes habuit. Inter cætera autem in gratiam Iulij Medices, Cardinalis, et Ecclesiæ Romanæ Procancellarij, instituit disputationem super lege Gallus. in Digest. Tit. De liberis & posthumis. quam publice magna celebritate, in XXII *Cardinalium conuentu, frequenti Episcoporum, Iureconsultorum, & omnis generis doctorum hominum concursu, magna cum nominis sui fama, publicè exegit. posteáque in iustos Commentarios redactam, eidem Iulio Medici inscripsit, & edidit. Per*

ipsum

ipsum enim Iulium in Aduocatorum Pontificalis Consistorij collegium ascitus fuit: de quo Marius sibi ipsi gratulabatur, quod nihil ad dignitatem amplius, ad studia accommodatius, ad ætatem expetibilius sibi condonari potuisset. Tandem uero senio prægrauãte, à causis orandis ad ocium totum se contulit, eo (ut scribit) consilio, ut quod uiribus præstare non ualeret, ingenio saltem elaboratum aliquid reponeret. Inceperat igitur eo in ocio iussu hortatuq; Leonis X Pontificis, in libros Digestorum exactiorem interpretationem conscribere, iamq; in librum primum absoluerat etiam, cum morte interceptus perijt. Scripsit præter iam dictam Interpretationem, & Commentaria in legem Gallus, etiam Repetitiones, & Tractatus aliquot, quæ uulgò impressa habentur. Item Commentaria de Probationibus, & libros de Principatu ad ipsum Leonem X. Floruit sub iam dictis Pontificibus, facit'que in scriptis suis æqualium suorum Iureconsultorum, puta Iasonis, Decij, Alciati, Zasij, inter alios crebram mentionem. Quo tempore mortuus sit, mihi non constat. nisi quod suspicor, sub ipso Clemente VII eum obijsse. Hoc tamen satis colligitur ex illius scriptis, eum ualde senem ex uita excessisse.

ZASIVS.

Restat Vdalricus Zasius, qui eodem tempore quo isti in Italia, ipse Germanus in Germania sua, maxima laude floruit. Natus est Constantiæ, urbe celebri, & Synodo quoque uniuersali insigni, parentibus honestis, & mediocris inter suos conciues ordinis. Puer literarum studijs adhibitus, liberaliter atque feliciter didicit: ut in illis temporibus, quibus primum in Germania illucescere (sed subobscure adhuc) bonæ literæ incipiebant. Quanquam uero illa ipsa ætas, in quam puer inciderat, inculta adhuc barbaraq; esset, ea'que de causa pueritiæ studia rectius alijs collocare non posset, tamen cum & literæ indies magis magis'que emersissent, et ipse interea adoleuisset, ingenij dexteritate facile effecit, ut omni barbarie excussa, in omnibus liberalibus disciplinis eleganter do-

ctus & esset & haberetur. Iuuentutem paulò solutiorem eum egisse ferunt, praua societate (quod ætas ista peculiare malum habet) corruptum. Et memini, cum ipse aliquoties eius temporis uecturam apud me cæterosq; suos familiares deploraret. Postea uero relicta schola, se ad forum & negotia transtulit, consilio'ne an casu incertum. In numerum Notariorum Constantiensis Consistorij, quod istic sanè celebre atque frequens est, concessit: ubi aliquandiu negotijs forensibus exercitatus, à Senatu Friburgensi (quod Brisgoiæ oppidum est) accersitur, & in Archigrammatæum eius Reipublicæ est acceptus. Delectabatur ille etiamnum studijs (quæ priuatim nunquam intermiserat) & in primis Iuris ciuilis cognitione ardebat. cuius præsentem dignitatem, utilitatemq;, iam rectius atq; olim, per ætatem iudicare considerareq; poterat. Itaque quod in adolescentia per imprudentiam prætergressus erat, postea meliori consilio, etsi serius, secutus, atq; etiam consecutus est. Prouecta iam erat ætate, trigesimumq; annum excesserat, cum primum cœpit Ius ciuile addiscere. quod quo rectius atque expeditius facere posset, abdicato à se publico illo officio, totum se deinceps Iuris studio addixit atque dedit. Præceptores audiuit eos, qui tum Friburgi (quod publicam et primarij nominis scholam habet) profitebantur. ex quibus ipse postea scriptis suis duos potißimum celebrauit, Ioannem Knapum Germanum, & Paulum de Cittadinis Patauinum, cuius etiam in familiaribus colloquijs amicißimam mentionem sæpe habebat. Breui tempore plurimum in Iuris disciplina profecit erat enim natura laborum tolerantißima, memoria summa, iudicio prope tum perfecto præditus. quibus accedebat illa forensium negotiorum cognitio, quibus Iuris ciuilis rationes usu prius quàm literis iam didicerat. Quapropter cum Paulus ipse ingenij iudicijq; dexteritatē in Zasio discipulo suo perspiceret, eum sibi in ordinaria prælectione, quanquam etiam dum Scholarem (ut nunc uocant) & ob id multis ex professoribus ferè tumultuantibus, surrogauit. pro quo tum Titulum De conditionibus Institutionis publicè prælegit. Hic quod & naturali quadam dicendi facultate præstaret, & præter aliorum mo

Ioannes Knapus. Paulus de Cittadinis.

rem

rem pro sua eruditione cultius elegantiusq; profiteretur, statim celebrari, & gratus omnibus esse cœpit. Quapropter ut primum Doctoratus insignia recepit, inter ordinarios professores relatus, ex eo tempore non scholastica professione tantum, uerum etiam scriptis editis deinceps magis & magis inclaruit: ac quasi secum sibi ipsi certamen esset, seipsum indies eruditione & fama superauit. quam utramq; quantam sit consecutus, cum in medio sint eius doctißima atq; utilißima scripta, nihil opus est meum hic iudicium afferre. Cæterum ad uitam quod attinet, erat ille honestißimis & amabilissimis moribus præditus: liberalis, humanus, affabilis, læti et perquam festiui ingenij, ut qui libentißimè semper iocaretur. Dapsilis erat, & crebrò conuiuabatur, adhibitis plerumque doctis uiris, amicis suis: quorum suauißimis confabulationibus animum suum subinde recreabat. Nihil enim minus, quàm solitudinem ferre poterat. Cibi atque uini nonnihil erat auidior (unde & craßitiem corporis contraxerat) ut mirari non pauci solerent, quomodo uir istis rebus intemperantior, tantos tamen labores lucubrationesq; (quibus plurimum utebatur) sustinere citra morbum posset. Sed ea erat naturæ suæ (quæ fortißima illi contigerat) præstantia. Conuersatio reliqua omnis decora, & perquàm urbana fuit. In profitendo summam gratiã habebat, & actionis uiuidißimam energiam. Mihi uero contigit illum iam propè septuagenarium audire, quo tempore quanquam ob senium multa erant in illo remissiora, etiam uox ipsa (quod tum edentulus esset) blesior, tamen ita adhuc docendo uigebat, ita uiuebant omnia quæ loquebatur, ut liquidò iurare poßim, neminẽ me ex Germanis & Italis professoribus audiuisse, qui hunc uiuida illa docendi ratione superarit. Erat candidißimi ingenij, minimeq; inuidi. Aliorum laudes non solum libenter admittebat, sed etiam ipse frequenter prædicabat. nec ego profectò memini ullius illum professoris uel ex demortuis, uel ex illis qui suo tempore celebrabantur, honori nominiq; unquam obtrectauisse. Pertinacior tantum in illis defendendis, quæ semel asseruerat, & reprehensionis nonnihil impatiens esse uidebatur. Cætera uir permagnæ erat humanitatis, ut dixi:

qua cu n alios omnes, tum maxime discipulos suos, & ex illis studiosissimum quenque complectebatur. Nihil erat quod illis non communicaret ex suis: nihil quod, si poterat, non praestaret. In meipsum discipulorum suorum inertissimum, quantum contulerit beneuolentiae, quantum etiam operae, nõ facile dixerim. fortasse tamen aliquo tempore commemorabitur. A Ferdinando tum Hungariae & Boëmiae, nunc etiam Romanorum rege, post dedicatam eidem lucubrationum suarum editionem, inter alia hoc priuilegio donatus erat, ut quandocunque ei luberet, in ocium se literarium recipere, & operosum praelegendi laborem à se abdicare posset, saluo nihilominus sibi annuo stipendio suo. Friburgensis enim Schola sub Ferdinandi, tanquam Archiducis Austriae, dominio est. Caeterum hoc priuilegio Zasius nunquam usus est, sed amore studiosorum, quorum non paucos immensis etiam itineribus secutos se uidebat, perpetuò, si per ualetudinem licebat, praelegebat. Nam podagra saepe impetebatur, & illi etiam senectus ipsa (iuxta prouerbium) morbus erat. Vxores habuit duas, ex quarũ prima Ioachimũ, qui postea Ducis Sabaudiensis Secretarius fuit: et filias duas, Clementiam mercatori postea, et Catharinã Georgio Funck Constantiensi docto Iureconsulto nuptã, Latinis literis industria sua praeter Germaniae morẽ eruditã, sustulit. Senior iam secundã duxit, quae illi filios tres, & filiã peperit.

Ioannes Vdalricus Zasius.

Ex illis natu maior Ioan. Vdalricus, iuuenis ingenij acrimonia, memoriae praestantia, dicendiq; promptitudine à patre neutiquam degenerans, hoc anno ex Italia (quò post obitum patris sui ad audiendum uirum doctissimum Marianum Soccinum missus erat) solitis titulis insignitus redijt: ut magna spes sit, eum in paternas laudes esse successurum, modò indefessam patris diligentiam perinde sequi non grauetur. Reliquit Zasius multa praeclarè scripta, quorum quaedam ultimam manum accepere, & ab eo edita sunt: puta Intellectus Singulares: Commentaria in legem secundam, Digest. De origine Iuris: Tractatus Substitutionũ, Tractatus de Iudaeorum infantibus baptisandis, Apologia contra Eccium, Item contra Stellã Aureliensem, & Epitome in usus Feudales. Reliqua uero post mor-

tem

tem illius edita sunt à discipulis, confusa adhuc, incorrecta, & reliquis scriptis propter ultimæ manus defectum, propè dissimilia. quæ sunt: Summa in Digestum uetus; Lecturæ in aliquot Titulos primæ partis Digesti Veteris: Et in Titulum, Si certum petatur, in secunda parte. Item super Titulum de Actionibus in Institutis. Item Consiliorum libri duo. Et restant adhuc plura eius opera, quæ & ipsa fortasse in publicum prodibunt futuris temporibus. Illa autem omnia si ab eo fuissent ipso emendata, haud dubie longe aliam faciem fuerint habitura, quam nunc habent. Cuius ego neutiquam leuem coniecturam ex Tractatu Substitutionum ab eo ipso postea euulgato, facere possum: qui tantopere distat ab illo quem in Scholis nos Auditores ex illius ore exceperamus, ut Lecturam præ illa editione uix agnoscere possis Zasij fuisse: tam multa istic immutata, tam multa etiam recisa, tam multa denique ex integro illustrata sunt. Ex qua quidem editione planè perspexi, Zasium hoc ferè emendationis genus in usu habuisse, quod Horatius in Satyris describit, dum ait:

Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur: & in uersu faciendo
Sæpe caput scaberet, uiuos & roderet ungues,
Sæpe stylum uertens, iterum quæ digna legi sint
Scripturus: & cætera.

Aliàs enim in Lecturis erat multo effusior, & minus concinnus, & uerborum (quibus sæpenumero inquinatis, significantibus tamē utebatur) ferè negligens fuit. Qua de causa Zasium sinceri lectores excusatum habere, sicubi in posterioribus editionibus eum sibi ipsi dissimilem inuenient, & illius quod apud Nasonem est, humaniter meminisse debent:

Emendaturus, si licuisset, eram.

Mortuus est optimus ille & doctissimus uir, Anno salutis M.D. XXXV. VIII Calend. Decemb. ætatis uero suæ Anno LXXIIII. Elatus est magno totius urbis luctu, & in summo templo honorificè sepultus, ubi illi ex decreto Senatus & Reip. Friburgensis ad extremam gratitudinis significationem (municipales enim

leges eius urbis Zasius omnes illis condidit) elegans monumentum positum est, cum hac inscriptione:

HVLDRICHO ZASIO IVRECONS. SVORVM TEMPORVM TOTO ORBE CELEBERR. HVIVS ACADEMIAE ORNAMENTO SINGVLARI, ET REIPVBLICAE FRIBVRGENSIS IN RESTAVRANDO IVRE MVNICIPALI IAM OLIM STRENVAM OPERAM NAVANTI, ALIIS QVE MVLTIS NOMINIBVS DE SE BENE MERITO, MAGISTRATVS OFFICII MEMOR FIERI IVSSIT.

CONCESSIT NATVRAE, ANNO SALVTIS M. D. XXXV. VIII CALENDAS DECEMBREIS.

Scripsit et [redacted] ad tumulum illius tale epitaphiũ:

Siccine mors crudelis, & inuida præripis orbi
Vlrichum Zasium, decus admirabile Iuris
Cæsarei simul & sacri, (paucissima dixi)
Imò doctrinæ totius, & artis honestæ
Thesaurum, ac mundũ locupletem? cuius ab ore
Manabat sermo uel melle suauior omni.
Quid nunc collaudem summũ pietatis amorem,
Et mentem cœlo dignam? quo iam illa soluta
Corporis inuolucris fruitur, sine fine beata.
Quod superest, te compello studiosa Iuuentus,
Tandem pone modum lachrymis, iustoq; dolori.
Vocis adempta tibi Zasianæ copia: uerùm
Extant ingenij monumenta perennia, quæ si
Assiduè manibusq; teras, oculisq; frequentes,
Spirat in his, loquiturq; uiri pars optima semper.

Hæc

Hæc ego ex plurimis de præceptore optimè merito, paucis propterea ſum proſecutus, quòd dudum in animo gero, aliquando iuſto quodam commentario, uitam eius omnem, & quæ plurima ab eo crebris colloquijs noſtris bene dicta ſunt, ex ordine commemorare. quæ quidem dum paro, hanc interea gratitudinis ergà illum meæ teſtificationem extare uolo.

VITARVM RECENTIORVM IVRECONSVLTORVM PER IO. FICHARDVM FINIS.

LOCA INTER EXCVDENDVM deprauata, ſic emendabis.

Pag.226. uerſ.12. ſcribendum Viglius. Ead. 30. utriusq; & Conradi 227.30. forte legend. indicium 229.17. pro Carario, aliàs Carrotio legitur. 230.9. iam eſſe 238.10. Conſiliorum Ead. 27. Saxoferrati 250.2. relinquendum erat ſpacium ante REVERENDVS, *quæ uox ipſa quoq; in tumuli ſaxo attrita iam eſt. 253.7. illi ſe Ead. 33.* RIMI- *255.5. per orbem. 256.21. Albertiſchus*

INDICES DVO LOCVPLE TISSIMI OMNIVM SCRIPTORVM IN IVRE, TAM PONTIFICIO QVAM

ciuili, à ueteribus & recentioribus
iuriſconſultis, ad hæc no
ſtra uſque tempora
editorum.

INDEX PRIMVS SCRIPTORVM A VETERIBVS IVRECONSVLTIS editorum, secundũ diuersas materias collectus, per Ioannem Fichardum.

S. Pom-

Sex. Pomponius lib. XX.

SENTENTIARVM *& opinionum.*

D. *Vlpianus* Opinionum *lib.* VI.
Iul. Paulus, Sententiarum siue Factorum lib. VI.
Sententiarum receptarum lib. V.

REGVLARVM.

Neratius Priscus lib. XV.
S. Pomponius lib. I.
Serbidius Scæuola lib. IIII.
D. *Vlpia. lib.* VII. *& rursus lib.* I.
Iul. Paul. lib. VII. Extant *lib.* V.
Regularum iterum lib. I.
Regularum tertiò lib. I.
Aelius Martianus lib. V.
Herenn. Modestinus lib. X.
Licinius Rufinus lib. XII.
T. Caius lib. I.

MEMBRANARVM.

Neratius Priscus lib. VII.

QVAESTIONVM.

Aemylius Papinia. lib. XXXVII.
Africanus lib. IX.
Serbidius Scæuola. XX. *& idem Quæstionũ publicè tractatarũ* I.
Iulius Paulus lib. XXVI.
Callistratus libros III.
Tertullianus lib. III.

LECTIONVM.

S. Pomponius ad Q. Mutiũ Lectionum libros XV.
Variarum lectionum lib. XV.
Iulius Paulus de Varijs lectionibus lib. I.
Iaboleni ex Caßio. lib. XV.

DISPVTATIONVM.

D. *Vlpianus lib.* X.
Claudius Triphonius lib. XXI.

PVBLICORVM.

Volusius Metianus lib. XIIII.
Venuleius Saturninus lib. III.

DE OFFICIIS.

De officio Proconsulis Venuleius libri IIII. *Iulius Paulus lib.* II.
Consulis, Vlpianus lib. III.
Præfecti Vrbis, Vlpia. lib. I. *Paul.* I.
Præfecti uigilum, Vlp. lib. I. *Iulius Paulus lib.* I.
Curatoris Reip. Vlp. lib. I.
Pretoris Tutelaris, Vlp. I. *Paul.* I.
Quæstoris, Vlp. I.
Consularium, Vlp. I.
Assessorum, Iul. Paul. I.
Præsidis, Aemyl. Macer lib. II.
Præfecti pretorio, Aurelius Arcadius Charisius. I.

DE PVBLICIS IVDI*cijs, pœnalibus & criminalibus.*

Aelius Martianus de pub. Iudicijs, libros II.
Aemylius Macer de ijsdem lib. II.

L. Iulia & Papia uenit. lib. I.
De operis libertorum Paul. lib. I.
De aßignat. libertorũ lib I. Paul.
De iure singulari Paulus lib. I.
De re militari Arrius Menander. lib. IIII. Tarantinus Paternus lib. IIII. Aemylius Macer lib. II.
Dotalium Caius lib. I. De differentia dotis Herenn. lib. I.
Excusationum Herenn. lib. VI. De excusationibus Tutelarum Vlp. lib. I. Paulus lib. I.
De Sponsalibus Vlpianus lib. I.
De ritu nuptiarum Herenn. lib. I.
De donat. inter uirum & uxorem Paulus lib. I.
De intercessionibus fœminarum Paulus lib. I.
De iuris & facti ignorãtia Paulus librum I.
De castrensi peculio Tertull. I.
De usuris Paulus I.
De gradib. & affinibus lib. I. Paul.
De censibus Vlpianus. VI.
Ad Municipalem. Paulus. I.
De portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur. Paul. I.
De instructo et instrumẽto Pau. I.
De iure libellorum Paulus I.
De præscriptionibus Herenn. I.
De muneribus ciuilibus, Aureli. Arcad. lib. I.
De potestatibus lib. VII. Gratiani Iunij. citatur. l. 1. ff. de off. quæsto.
De iurisdictione, Offilius.
De legibus uicesimæ, Idem

MISCELLEANEORVM

Aureorum, siue rerum cottidianarum Caius lib. VII.
De enucleatis casibus, Herenn. lib. I.
De ambiguitatibus Iulianus. I.
πιθανῶν lib. VIII. & Posteriorum, Antistij Labeonis.
ὅρων Q. Mutij Scæuolæ lib. I.
περὶ εὑρηματικῶν Herenn. lib. I.
Differentiarum Heren. lib. IX.
Definitionum Papiniani lib. II.
De uerborum quæ ad ius pertinent significatione, Aelius Gallus.
Cassellij lib. Benedictorum unus.
Assessorum aliquot Puteolani.
ἐγχειρίδιον Sex. Pomp. lib. II.
Manualium Iul. Paulus lib. III.

NOTAE IVRECONsultorum.

Notas scripserunt Paulus in Sal. Iulianum, in Responsa & quæstiones Papiniani, in lib. πιθανῶν Labeonis, in Scrb. Scæuolã, itẽ Marcellus in Iulianũ, Vlpia. in quæstiones Papiniani, Marcianus in Vlpium Marcellũ, Claudius Triphonius in Scæuolã, & Seruius Sulpitius in Q. Mutiũ Scæuolã.

IN EPITOMEN REDVCTI.

Alfeni Vari digestorũ XL. libri in Epitomen redacti per Paulum.
Posteriorum lib. X. Labeonis, epitomen fecit Iabolenus.
ἐπιτομῶν Iuris Hermogenia. lib. VI.

AD REVERENDVM ET CLARISS. D. NICOLAVM ARAGONA, V. I. DOCTOrem cubicularium Apostolicum, ac S. Petri canonicum dignissimum, Ludouicus Gomesius iurisconsultus Hispanus Felicitatem.



EGISTI mecum aliquando Amplissime Nicolaē, atque per literas genitoris tui clarissimi sæpenumero monuisti, ut Indicem librorum omnium qui apud nos circūferuntur, transmitterem: ut ueluti hac luce instructus, amplam illam satis & tam multam librorum tuorū suppellectilem, nouissimorum scriptis illustrares. Verum cum plura sint Iuris uolumina edita, quàm Sibyllæ folia, non illa potui èuestigio tribus (ut dicitur) explicare chartis: nec ea res tanti erat, ut in ea tam bonas horas collocarem. Nunc uero quoniam in hac specie libellus quidam prodijt in lucē Io. Neuizanis, in quo plura fortassis addēda occurrunt, quàm ille complexus est, & ego diligentia multa collegi: ideo non ab re fore iudicaui, si cum opportunam nactus fuerim occasionem, non in omnibus obsequerer tibi. Sic itaq; feci: et immensam librorum syluam colligens, & opusculo illi Neuizani connectens, tuo nomini dicandum censui: non quasi rem nouam (nam non est meum, uetera pro nouis uendere) sed ueluti à me nouiter informatam: ut ex hac nostra adiunctione non minor uideatur facta nouatio atq; coniunctio, quàm ut de serpente & aquila testantur historię, uel de anulis ferreis ad magnetem Platonis. Addidi præterea quàm

plura

plura antiquorum & recentiorum annotamenta, quæ cum ea modò apud informatores, uel scribarũ decurias minime reperiantur, ad Neuizani manus non peruenerunt: & alia non parum multa, quæ post libelli sui editionem sunt publicata: nonnulla etiam quæ sub incude delitescunt, de proximo tamen umbram & numerum sunt allatura. Sed quis leget hæc? Nemo hercule. Quàm sancta igitur & opportuna esset hac ætate lex illa Platonis, qua illustris ille tantusq; Pater sanxit, neminem unquã ea quæ composuerit, aut dictauerit, in publicum edere debere, nisi cõstituti super ea re Iudices prius uidissent. nam futurum esset, ne tanta uoluminum congerie offunderemur: neq; tam multi, qui prius quàm atramentũ exaruerit, informatores paratos habent, temere ad scribendum prosilirent: neq; tam pauci bonas literas discerent. Vtcunq; sit, hic libellus (ut uides) auctus, tuo nomine prodit in uulgũ. Iam'ne sentis quàm tibi tuendus sit? uel tuo ipsius nomine? uel meo? Tua enim fides in eo, meus honos agitur. cuius quidem etsi semper cura apud te fuerit, tamen eum tueri ob idipsum impensius debes, quòd paucula atq; incondita in eo eduntur: quæ meritò possent inter insecta illa, quæ uocantur Ephemera, connumerari. nam ego illum mihi quasi Adonidis hortum parauerам. Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem, atq; gratiam, quam tua egregia indoles, morumq; suauitas conciliant. Vale, & me ut facis ama.

INDEX SECVNDVS OMNIVM LIBRORVM IN IVRE TAM PONTIFICIO QVAM ciuili passim editorum, à clarissimo Iureconsulto D. Ioanne Neuizano ciue Astense primum compositus, deinde per Ludouicũ Gomessium Hispanum Iureconsultũ plurimis additionibus auctus, & nunc tertio per Ioan. Fichardum ingenti accessione (quæ hoc signo * indicatur) locupletatus.

Totum corpus iuris ciuilis completum, solet ligari in V. uolum.

Ioan.

Cynus

Cynus.
Ioan.Fabri.
Salicetus.
Riminaldus,in tertio uolumine.
Iacobinus de S.Georgio.
Claud.Aquem.

SVPER I. C.

Antonius de Alexandro.
Ioan.Antonius Rosel.
Bar.Cepol.non impressi.
Curtius Senior de iur.calum.
* Andreas Alciatus super titulos,
* De Summa trinitate.
* De Sacrosf.eccles.
* De edendo.
* De pactis.
* De transactionibus.

SVPER II. C.

Corneus.
Decius uterq;.
Riminaldus.
Cato Saccus.
Franciscus Scarabel.
Ioan.Paulus Picus,non impress.&
Ioan. Bap.de S. Seuerino, & quidam moder.senij.&
Floria.non impressus.

SVPER TRIBVS libris.

Nico.de Neopol.
Odofredus.
Bartolus.
Baldus.

Angel.de Perusio.
Lucas de Penna.
Iacob.Rebuffi.
Ioan.de Platea.
Ioan.Pirrhus Anglebermeus.
Et correctiones Alciati.
Et quædam Traductio noua.

SVPER AVTENticis.

Iacobus de Beluiso.
Bartolus.
Angelus de Perusio.

SVPER FEVDIS.

Summa Ioan.Blanchi.
Summa Pilei,non impressa. *
Summa Iacobi de Ardizono. *
Iacobus de Beluiso.
Andr.de Isernia.
Petrus de Bellapertica.
Baldus.
Mart.Laudensis.
Aluarotus.
Præpos.
Bap.de sancto Seuerino.
Et Claudianus Aquem.
Comprensorium feudale.
Ioan. Raynaudi super rubri. & c. imperialem,de probi.feu.al.per Fredri.
Inuestitura Iacobini. *
Epitome feudalium per Vdalricũ Zasium. *
Curtius iunior.
Consilia Bruni.

LECTVRAE SVPER decreto.

Archidiaconus.
Ioan. de Turre cremata.
Geminianus.
Cardinalis Alexandrinus.

LECTVRAE SVPER decretal.

Abbas antiquus.
Compostulanus.
Innocentius.
Hostiensis.
Collectarius Ioan. Gaufred.
Ioan. Andreae.
Henricus Boich.
Baldus.
Cardinalis Zabarella.
Anto. de Butrio.
Petrus de Anch.
Ioan. de Imola.
Abbas Panormitanus.
Mariani Socini, non impressa, sed imprimenda.
Benedicti Caprae in V. uolumine; non impressa.
Geminiani, imprimenda in IIII. uoluminibus, & de Iudic. non impressus.
Franc. de Aretio.
Barbazia.
Felinus.
Philippus Decius.

SVPER II. Decretal.

De for. com. per Marian. Soz.
De libell. obla. per eundem.
De mutuis petit. per eundem.
De lit. contest. per eundem.
Item Francis. de ripa, super tit. de iudic.
Item Ioan. Boscus Codega. super eodem.
Item Prosdocimus de comitibus.
Item Ioan. de Lignano super toto secundo. est Romae.
Dominicus de S. Gemini. super secundo & tertio dec. est Venetijs.
Vt lite non contest. per eundem.
De praescriptio. per Petrum Pau. Parisium.
De exceptionibus, per eundem.

SVPER III. Decretaliũ.

De emp. & uen. per Anto. Burgos Hispanum.

SVPER IIII. Decretaliũ.

Praepos. nunc Card. Alexandrinus.

SVPER V. DEcretalium.

Ioan. de Amania.

* Progymnasmata fori, per Fridericũ Schenck, Baronem à Tautẽberg.

SINGVLARIA.

Petri de Bella pertica.
Baldi.
Angeli.
Romani.
* Guilielmi de Ludo.
* Amanelli de Claris aquis.
Matesilani.
Pauli de Castro.
Cremensis. Corseti.
* Hippolyti.& eiusdẽ Noua singularia.
Petri Gerardi.
* Ioannis de Arnono ad statuta regni Neapolitani.
Guid.Papæ.
Henrici de Boerio.
Ludouici Bolognini in suis interpretationibus 1.& 2.partis.
Andre. Alciati in lib.dispunctionũ.
Catelliani Cottæ in suis memoralibus 2.partis.
Petri de Rauenna, in suo aureo alphabeto, & in suo compendio iuris ciuilis.
* Cepolæ Ferracij & Ioan.de Arnono, in suis cautelis.
Lud.de Roma. in fin. Rubr. ff. de arbitris.
* Allegationes Ioannis Baptistæ.
* Allegationes Lapi de Castellione.

REPERTORIA, duo uolum.

* Gentilis Papiensis non impressus.
Speculi super toto iure.
Ang.non impressus.
Alberici in dictionario.
Io.Curtusij, non impressus.
Io. milijs.
Io.Cal.non impressus.
Brixiensis.
Anto.de Butrio, non impressus.
Margarita Bal.
Domi.de sancto Geminiano.
Margarita Decreti.
Margarita Decretalium.
Margarita Sexti & Clementinarũ.
Bertachini, et est copiosius cæteris.
Bar. per Anto. de Prato.
Pano. per Corsetum, & per duos alios modern.
Fel.per Moncenichũ. est relatoriũ potius, quàm repertorium.
Alex.per Nicolaum Marium.
Ias.per Hieron.de Marliano et Hieronymũ Chuchalon. item cũ nouo repertorio Baptist. Fereto, eorũ quæ in palatijs uersantur.
Vocabularium iuris.
Promptuariũ iuris, per Ioan.Mõtolonium, in duobus uoluminib.
Flores legum. Poma legum.
Alphabetum Pet.Rauenatis.
Cotta Catellianus.
Fallentiæ Socini, & Repert.nouũ.
Do.Alberti Bruni Astensis in materia statutorum III.pars.
Et hodie quasi omnes Lecturæ imprimuntur cum suis tabulis, miror autem quod Repertorium

REPETITIONES VARIAE, QVAE NON REPERIVNTVR ETIAM IN Lecturis doctorum, hactenus impressis. Et primo super 1.ff.Veteris.

* l. 1. eodem tit. ijdem tres iam dicti.
* l. mandata. eod. Iacobus de Nigris.
* l. etsi prætor. eod. Iacobus de Nigris.
* l. cognitio. eod. Iacobus de Nigris.
* l. fin. eod. Sebastianus Sapia.

l. post mortem, per Petrum de Bella pertica.

Super Rubr. de Offic. asses. — De Offic. asses.

l. 1. per Paul. Orianum, in III.

* Iacobus de Nigris. Sebast. Sapia.
* l. omne officium. eod. Iacobus de Nigr.
* l. liberti. & l. si eadem. eod. Iacob. de Nigris.
* l. diem functo. eod. per Cacialupum. Iacobus de Nigris. Sebastianus Sapia.
* l. consiliarijs. Iacobus de Nigris.

Super Rubr. de Iurisd. om. iud. — De iurisd. omn. iud.

* Sebastianus Sapia.
* l. ius dicentis. eod. Sebast. Sapia.
* l. cui iurisdictio. eod. Idem.
* l. Imperium. eod. Idem.
* Ioan. Baptist. Calcialup. Gaspar Vallascus.

l. cum quidam. & l. fin. eod. Sebast. Sapia.

l. Imperium. per Cacialupum, per Gasparem Valasci Hispanum.

* l. iubere cauere, per Cacialupum. Sebast. Sap.

l. more. per eundem, & per Petrū de Bella pertica. & istæ tres per Bulga. Ioā. Bap. Cacialup. *

Quod quisq; iuris.

* l. 1. Quod quisq; iur. Idem Cacialup.
* l. de ætate. de mino. Idem.

l. ex quacunq;, per Petrum de Bella pertica. — Si quis in ius uoc.

l. 1. per Iac. Butrig. — Si quis cautio.

l. & si post tres, per Pet. de Bella pertica. & per

l. si seruus. §. si plurium. per eundem. (Lucr. 12.

l. in pecuniarijs. per Petrum de Bella pertica. — De ferijs.

l. 1. per eundem. — De edendo.

l. argentarius. §. cum autem. per eundem.

* nus. Hermanoctius.	
l. qui uiam. per Ludo. Bolog.	De oper. no. nunc.
l. si finita. §. Iulianus. per eundem.	De dam. infec.
l. ubi ita donatur. per Signorol. per Christ. castel.	De don. cau. mor.
l. ea quae ciuiliter. per Ludo. Bolog. seu Signorol.	De acqui. rer. do.
* §. post mortem. Antonius Rubeus, Alexandr. Hermanoctius.	
* l. contractus. de dona. Paulus de monte Pico.	
* l. post contractum. eo. Ioan. Hannibal de Canonicis Bonon.	
* Super Rubr. de acquir. poss. Carol. Ruinus, Hermanoctius.	De acquir. poss.
* §. adipiscimur. Hermanoctius.	
l. naturaliter. §. nihil commune. per Lud. Bolog. per Bal. no. 2. per Almanotium Florentinum.	
* per Claudiũ Marmeriũ, per Hermannoctium,	
* per Io. Anto. Rubeũ, per Fabiũ Corambonũ.	
l. de unoquoq;. per Hippolytum de Marsilijs.	De re. iudi.
l. Pomponius. §. cum quis. per Io. Crottum.	
l. si is qui pro emptore. per Ioan. Crottum. per Sandolet. in III.	De usucapio.
l. Celsus. per Franc. Balbũ, in suo tractatu de praescrip.	Rub. & tit. de cõfessis.
l. qui agnitis. per Bened. de Plombino.	De exceptio.

SVPER II. ff. NOVI.

per Bal. Nouel. per Bulgarinum, per Io. Crottum, per Hier. Verrij Senẽs. per Parpaliã, per	Rub. de uerb. obl.
* Hiero. Butigellã, per Lancilotum Galiaula.	
* l. 1. per eosdem. & Hiero. Butigella, per Andreã de Alzate, & tres sequentes.	
l. iiij. §. Cato. per Bal. Nouel. per Ang. de Periglis, per Io. Crotũ, per Io. Bap. de S. Seuerino, per Bologninũ, per Carolum Ruinũ, per Vdalricũ Zasiũ, per Almanotiũ Florentinum, per Ioan.	
* Pirrhum, per Hiero. Butigellã, per Hermano-	
* ctium, per Marianum Socinum nepotem.	

l. stipulatio

l.1.per

l.1.per Petrum de Bella pertica.	De procur.
l.exigendi.per eundem. l.inutilis.per eundẽ.	
l.falsus.per Bernard. Gamma.	
l.& si seuerior.per Petrum de Bella pertica.	Ex quib.ca.infa. irr.
Autẽti.sacramenta puberum.per Phil.Corneum.	Si ad uendi.
l.qui tempore.per Petrum de Bella pertica.	De rest. mil.
l.1.per Petrum de Bella pertica.	De iur.om.iud.
l. 1. per eundem.	Rub.ex del.def.
Autẽti.nouissima.per Fabianum de Grochis.	De inof.test.
l.filium quem habentem.per Petrũ Matesilanũ.	Famil.hercis.
* l.quinq; pedum. per Andream Alciatum.	Finium regundorum.
per Francis.Curtium. per Lanzel.politum.	Rub.de iu.iur.
l.dudum.per Ioan. Igneum.	De contrahen. empt.
per Francis.Curtium.	De probi.sequest.pec.
l.2.per Ludouicum Gozadinum.	De pac.inter emp.& uend.
l.2.per Bald.	
per Pantaleonem Calderij.	De re se.uend.
per Anto. Boidum.	Rub.uecti.no.in.
Autẽti.habita.per Andr.de Isernia.in si.feudorũ.	Ne fil.pro pat.
l.dudũ.Io.Ignei.lib.7.per Barthol.Bologninum.	Rub.C.de contrahen.
per Hippolytum de Marsilia.	Rub.C.de prob.
l.comparationes.per Pet.de Bella pertica.	C.de fid.instru.
l.& qui.per Petrum de Bella pertica.	Quod cum eo.
l.generaliter. per Petr.de Bella pertica.	De non num.pec.
l.acceptam.per eundem.	De usuris.
l.si seruus.per eundem.	Si ser.extero.
l.ex placito.per eundem.	De rer.permu.
l.certi iuris.per eundem.	Locati.
Rubr.de secund.nup.per Io.Garonis	Rubr. de sec.nup.
l.donatiões.per Pet.de Bella perti.per Io.Igneũ.	De dona.inter uir. & uxo.

SVPER II. C.

l.1.per Cepolam.	De furtis.
Autẽti.sed nouo iure.per eundem.	
l.falsus.procur.per Petrum de Bella pertica.	
per Bernardinũ Gamarrũ, per Signorolũ, per Barb.per Bulgarinum, per Gonzadinum, per	Rub.C.quae admit.

c.quoniam.

SVPER V. DECRET.

SVPER VI. DECRET.

SVPER CLEMENTINIS.

TRACTATVS VARII DIVERSORVM DOCTORVM ORDINE ALPHABETI, ac etiam per ordinem materiarum. Et primo, de Iure, de Legibus & statutis.

Præmittenda sunt ea quæ ex ueteri Iurisprudentia sunt recuperata, uidelicet Codicis Theodosiani libri XVI. *Gregoriani lib*. V. *Hermogeniani liber* I. *
Caij Seueri Institutionum lib.2. *
Iulij Pauli receptarum sententiarum lib.V. *
Historia iuris ciuilis & canonici per Aymarum Riualium.
Veterum Iureconsultorum uitæ per Bernardinum Rutilium. *
Descriptiones iustitiæ & iniustitiæ, per Guiliel. le Rouille.
De fine iuris ciuilis & cano per Do. Fortunium.
Vocabularium iuris, per Albericum Rosatem, per Iacobum Spigellium. *
De uerborum significatione libri III. *per Andream Alciatum.* *
Differentiæ inter ius ciuile & canonicum. per Do. Galuagnum.
De scientia iuris per Gammarum.
Super leges XII. *tabul. per Ioan. Oldendorpium.* *
Glosæ contrariæ per Dynum, & earum accordantiæ, per Antonium Nicellum, per Barto. per Hieronymum Zanetinum.
Topica Claudij Cantiunculæ in iure.
Et alia Nico. Euerardi de Middelburgo impressa Louanij, 1516. & ista
Contradictiones Iuris canonici & ciuilis, per Baptistam à S. (melior. *
Blasio, duas centurias contrarietatum complectens.
Nicolai de Clamengijs, de lapsu & reparatione iustitiæ.
Differentiæ inter ius cõmune & feudorũ, per Baptistã Cazalup. in repe. c.1. de feud. cog. per Baptistam de S. Blasio.
Legalis dialectica Petri Gammari.
Propositiones maiores & minores Raynerij de Forliuio.
Modus arguendi Bal. non impressus. Idem per Dynum.
Ioan. de Arnono Soliloquia. Dialogi. Commentarij. *
Regulæ Iuris cum Fallentijs, per Bartholomæum Socinum. *
De modo studendi, per Mar. de Fano, per Cacialupum, per Petrum Vetruuium, per Ioan. Iacobum de Canibus. per Christ. *

Intellectus singulares legum, Vdalrici Zasij. *

CIRCA PERSONAS

Ecclesiasticas.

Monarchia Petri de Monte.

Monarchia Antonij de Roxellis. ubi de potestate Papæ, Imperatoris, et Concilij. de eodem per Panor. & per Claudium Cantiunculam.

De Scimate, D. Conradi de Geileusen.

De potestate Papæ, & Concilij, per Ioan. Franciscum Poggium. *

Somnium uiridarij, ubi de potestate Papæ & Principum secularium.

De autoritate ecclesiæ, per Ioan. de Turre Cremata, Ioan. Gerson. per Cyprianum, & per Alexandrum de Clipido.

De autoritate & præcedentia magni Cõcilij, per Ioan. Montaigne, cum additionibus Nicolai Boërij. per Fratrem Isidorum de Isolanis, per Fratrem Augustinum de Anchona. *

De potestate Legati Franciæ, per Nicolaum Boërij, & per Ioan. Brunellum, ubi de Cardi.

De libertate Ecclesiastica, per Ioan. Lupum, & per Bonicontium filium Ioan. Andreæ.

De Immunitate ecclesiæ, per Ioan. de Vischijs.

De Exemptionibus, per N.

De Concubinis, per Lodouicum Sardum, in tractat. de legitimatione. *

De ueritate Romanæ ecclesiæ, per Fratrem Syluestrum de Prierio feudi Asten. magistrum sacri Palatij contra Fratrem Martinum Luther.

De potestate secularium super Ecclesiasticas personas, &ècontra per Stephanum Aufreri, per Guidonem Papæ in tractatu quomodo Laici ducis Sab. possint trahi coram Ecclesiastico.

Casus in quibus Iudex secularis potest capere Clericum, et de priuilegijs Clericorum per Bernardum Laurentium, & D. Bonicontum.

De translatione concilij Basileæ, per Cataldinum de Bon. compagnis.

De mutatione status ecclesiarum, per Petrum de Vbal.

De indulgentia Sermo, per Fel.

De mutatione status ecclesiarum Petri de Perusio, per Lodo. Bolog. per Fratrem Stephanum de Notis, per Hieronymum Zanetinum.

De alienatione rerum ecclesiasticarum, per Fabianum de Monte S. Sabini in tractat. de Emptio. *

De animabus incolentibus purgatorium, an possint per Papam dispensari, per Fratrem Iacobum Marchepallu.

CIRCA BENEFICIA ecclesiastica.

Dire-

CIRCA SPONSALIA.

CIRCA DIGNITATES LAICAS.

per

per Larbre de Batailles, per Honoratũ Bonhor, per Mart. de Laud.
per Baptistam de Valle, per Vincentium de bello Italico,
per Paridem de Puteo.
Ioannis Lupi Segobiensis Hispani. *
De brauio. per Corsetum.
De ludo, per Stephanum Costam.
per Ioan. Baptistam Caccialupi. *
per Troilum de Maluitijs. *
per Paridem de Puteo.
Tract. in quibus casibus Laici subditi imperio ducis Sabaudiae possunt
trahi ad iudicem ecclesiasticum, per Guido. Papae.
De feudis Ioan. Raynaldi, per Ioan. Tierri, per Antonium de Prato.
De Falcone, per Bar.
De nobilitate, per Ioan. Raynaudi, per Bonum de Curtilli,
per Iodocum Clotoueum, per Pontanum post uitas Pontificum.
De dignitate, per Mart. Laud.
De Doctoribus, per Petrum de Lenauderij.
De Lamijs, & excellentia utriusq; Iuris, per Ioan. Franciscum Ponzlni *
bium Placentinum.
De praecedentia Doct. & militis per Christophorũ Lafranchinum, &
per Signorol. de hono. & addi. per Lodo. Bolog.
De praecedentia & ordine graduum utriusq; fori, *
per Nicolaum Boërium.
De officio aduocati, per Lanzel. Politum.
De tabellionibus, per Bart. per Ioan. Iacobum de Canibus.

CIRCA CONTRACTVS.

De pactis & constituto, per Bal. per Cacialupum.
De transactionibus, per Cacialupum.
De executione instrumentorum. per Antonium de Canario.
De instrumento Guarentigie, per Benedictum de Barzis.
De insinuatione, per Ant. de Canario.
De emp. & uen. per Fabianum de monte S. Sauini.
De pacto de retrouenden. per Fratrem Bernhardinum de Busti.
in I. parte Rosarij. Ser. XXVII.
De emptione & uenditione unius pro uiginti, per Felicem Malleolum. *
De nouationibus, per Albertum Brunum in tract. de Augmento. *

De retractu, id est, retractione contractuum, per
De acquisitionibus, per D. Ioan. Villemati de Fortia.
De duobus fratribus, & alijs quibuscunq; socijs, per Bar. per Bal.
per Petrum de Vbal. ubi in XI. parte. q. IX. tractatus de Oliuis & paleis, Ang. de Periglis.
De socida. per Ang. de Periglis.
De amicitia, per Ioan. de Lignano Mediola.

CIRCA CLAVSVLAS.

Clausularum per D. Vitalem de Cabanis
Clausulas derogatorias, per Guido. Papæ.
per Claudium Disutum Capillonensem.
De renunciationibus iuris ciuilis. per Iacobum Butrigarium. *
Ars notariatus. cum tract. de renunciationibus, quæ ponuntur in instrumentis.
Clausulas testamentorum habes in testamento Angel. de Aretio.
Clausulas processus inquisitionalis habes per eum in tract. suo maleficiorum.
Clausulas inuestituræ habes per Iacobinum de S. Georgio in feudis.

CIRCA IVDICIA.

Speculum iudicum, per Martinum Ranaud. Senonensem.
Arbor iudiciorum, per Ioan. de Graßis.
De arbore iurisdictionum, per Guilielmum Realem. *
De origine iurisdictionum, seu de de duabus potestatibus, temporali & spirituali, per Petrum Bertrandi Cardinalem. *
De arbitris, per Petrum Iacobi.
Defensorium iuris, Ioan. Monachi Cistercienſis. *
per Bar. per Lanfr. de Oriano, cum additionibus Benedicti de Vadis, *
per Ioan. Baptistam Perusinum. *
Tract. iudiciorum Mansuerij.
De actionibus. per Baptistam à S. Blasio. *
per Placentinum, in tract. de uarietate actionum. *
per Odofredum Beneuentanum, in tract. de formandis libellis. *
per Ioan. Oldendorpium. *

Practica

per Marcum Antonium Baueriam, * per Franciscum Curtium Papiensem. De iuramento calum. per Marianũ Sonzi. De positionibus, per Odof. per Iacobum de Arena, per Curtium. in titu. C. de iurar. calump. De exceptioni. per Io. Monaci. per Iacobum de Arena. per Innoc. * per Martinum de Fano, * per Nepotem de monte Albano. De præscriptio. per Bar. per Dy. per Franciscum Balbum, * per Roggeriũ. * per Hostiensem, * per Oldendorpium, et ibi de Vsucapionibus. De differentia inter sententiam interloquutoriam & diffinitiuam. per Franciscum de Are. De appellationibus per Bonicontum. * De excusatore sine mandato, per Antonium de Canario, per Guidonem papæ. De expendio, per Iacobum de Arena. * De interesse, per Antonium Fumæum. * De interesse, per Dynum Mugellanum. * De excußione pignorum, per Bartolum à Saxo ferrato. non est cum alijs tractatibus suis. * De executione instrumentorum, per Antonium de Canario.

CIRCA FISCALIA.

De priuilegio fisci, per Mart. Laud. per Lucã de parma. De moneta, per Mart. Laud. * per Franc. Curtiũ Papiẽ. * per Io. Garonis. per Io. gnãdũ Auenionensem. per Brunũ astensem, in tractatu de augmẽ. * Et extat consilium collegij Papiensis in materia ualoris monetarum. De collectis petri de Vbaldis. De mensuris & cuius auto. fiant, per Io. Garonis. * per Ioan. Regnaudi Auenionensem. De alueo Tiberiade, & de insula, per Bar. De decimis & charitatiuo subsidio, per Franciscum Pauium. De oblationibus Troili Maluitij. De muneribus, per Petrum de Vbal. per Antibolũ. * per Guilielmum de Cugneo. * per Petrum Antebolum Allobrogem. De gabellis, per Bertachinum. Parrochiale curatorum per Michaëlem lochemier. Manipulus curatorum, per Guidonẽ Montrochieri. Rationale diuinorum officiorum, per Io. Durandi. i. Specu. De maleficijs, per Ang. de aretio. per Bonifacium de Mantua * De iniurijs et damno dato, per Ioan. Iacobum à canibus. * Albertũ de Gaudino. * Practica Criminalium per Iacobum de Beluiso * Rulandinus de Romuntijs, de ordine maleficiorum. De accusa. & inquisitio. per Bonicontum. per Guidonem Papæ. * per Placẽtinum in tractatu de uarietate Actionum. De securitate præstan. per Minantem. De pace Cõstantiæ, per Baldum de Vbaldis. De exemptionibus, per Bal. per Guil. de

CIRCA SVCCESSIONES.

*per Angelum de Periglis. Materia Trebellianic. Antonij Corseti.
De substitutionibus, per Rayn. de forl. * Baldum de Vbaldis, * Bartolum de Hutio, * Vdalricum Zasium, * Lancelotum Politum, * Antoniũ Fumæum. * & de Cõiunctionibus, per eundem. Trac. de testa. Angel. de Are. * per Philippũ de Casolis, * per Rolandũ Passageriũ. * De codicillis per Roland. paßageriũ. De collationib. per Vitalẽ Hemausensem. * De inuentario, Angel. * Forma inuentarij cõficiendi ne hæres teneatur ultra uires hæreditarias, per Guidonẽ Papã. De inuentario & eius confectione, per Franciscum Porcellinum.

* De Quartis, per Bartolum de Hucio. * De Trebellianica, per Antonium Corsetum. * De bonorum possessionibus, per Arnaldum Contadum Narbonensem, iurisstudiosum. * De successionibus masculorum exclusis fœminis per Statutum, per Laurum à Palatijs rubeis Fanensis.
De peste, Francisci de ripa. De successio. regum, Guilier. de monferrat.
De successionibus ab intest. per Dynum. per Matesilanum. per Nicolaũ de Vbal. * per Rolandinum Passagerium. * per Cynum à figbuldis. * per Antonium de Rosellis Aretinum. De aqüisitionibus possess. & dominij per Io. de uillemati de Sforzia. * De executoribus ultimarũ uoluntatum, per Ioan. Iacobum à Canibus.

SEQVVNTVR DISPVTATIONES VAriæ plurimorum docto.

* Disputationes Pilei, non impressæ. extant tamen apud nos.
* Disputationes Roffredi Beneuentani. Dispu. tam dominicales quàm uenereales, D. Barthei Brixiensis, sunt nu. xci. Disput. Ioan. Andr. habes in suis mercurialibus, quas edidit super titu. de reg. iur. li. VI. & super unaquaq; reg. posuit unam. Disput. eiusdem de clerico relinquente habitum, an gaudeat priuilegio. incip. Quia sæpe quærimus ubi. Dispu. Calde. incip. Quæritur. quam alleg. Fæli. in c. graue in ij. de offi. or. Disput. Paul. de ca 9. sunt. in. 2. uol. rep. Dispu. Egidij de mandelbertis. 3. 12. in uol. rep.
Qui casus requirant speciale man. sunt in fi. trac. Bonifacij de Vitalinis. Latius per Ang. Insti. de his per quos ag. po. Dispu. Petri de bella pertica sunt nu. 547. & alia quæ incipit Quæstio talis est, ita est de cõsuetudine in quadam ecclesia collegiata. est post suas repetitiones.
Dispu. Bar. 18. sunt cum eius consilijs. Dispu. Bal. incip. Accusatus de ui turbatiua, Statuto cauetur. Dispu. Ang. de Vbal. sunt nu. 6.

EXPLICIVNT DISPVTATIONES. SE quuntur Consilia Doc. quę hactenus habent impressa, certis uoluminib. redacta.

CONSILIA.

go. Io. de Imol. Lud.Ro. Egidij Bellamere. et licet in impressis sint solum consi. 48. tamen in bibliotheca Palatina Romæ inueni 148. Vidi etiam ibi registrata consil. Saly. non dum impressa: sed liber fuerat exportatus, dimissa cathena. Paul. de cast. uol. 2. Anto. de Butrio. Geminiani. Cardinal. Zabarelæ. Panor. uol. iij. Io. de Annania. Bened. capræ Bartho. Cepol. Cornei. uol. 4. Barbaziæ uol. iiij. Alex. uol. 7. Franc. Aretini, Guid. Papæ uol. iij. Curtij senioris, Curtij iunioris, Ludo. Bolognini. Laur. Calcanei. Sonzi. uol. 4. Philippi Decij uol. 4.
* Cepulæ cōsilia criminalia,
* Hippolyti consilia criminalia,
* Stephani Bertrandi uol 4.
* Iasonis de Maryno,
* Vdalrici Zasij uol 2.

Alberti Bruni Asten. ubi etiā sunt Consi. Aluaroti. Allegationes Lapi. Allegationum Francisci Nicoʒniti gre. 1. in qua adhuc xi partes allegationum promittit. * Allegationes Francisci Tertij Cremensis, pro testamento uitæ Iudæi. * Collegiorum Bonon. Paduæ, Ferrariæ de præcedētia monachorū cōtra cano. regulares. Quorum resol. habetur per Augustinū Cano. in li. scrutinij. ubi in fi. sunt plura cōsilia ad oppositum. Et super hac re est uolumē ingēs nō impressum Romæ in monaster. sancti Pauli.

Cœperam ego reducere omnia Repertoria suprà scriptorum consiliorū in unicum opus alphabeticum, & decisiuum, ponendo consilia concordantia & cōtraria, subordinando materias cuiusq; dictionis quo ad poteram per regula, ampliationes, & fallentias. Sed quia defuit otium, peragat alius, et maximum posteris leuamen laboris parabit, & utilitatem reip.

SEQVVNTVR VARIA CONSILIA HINC inde uagantia, & uarijs operibus inserta.

Consi. Lap. de castel. circa inquisitores et nuncios apostolicos, quod sunt exempti à Iurisdictione ordinaria, incip. Cū Mathæus de Pontian. est in fi. consi. Oldra. & ibi. Consiliū Franc. Pauini, in causa beati Simonis. ubi late de materia indiciorū in causa criminali. incip. Reuer. pater considero principaliter. Consi. D. Alex. de neuo angeli & de castro cōtra Iudeos fœnerantes, est in fi. Summæ pisanellæ. incip. in casu in quo requisitus fui. Consil. Bernardini de Busti, an pactum de

minas, in ultima impreßione. *Consilium coll. ij. Papiens. de qua moneta debet solui census principi. est in fi. tractatus eiusdem* Bruni *de augmento.* *Consil. An petitio compromißi ex forma statuti poßit peti post litem cõtestatam. in fi. tractatus* Lafr. *de* Oriano. *de arbitris.* *Cõsil.* D. Io. B*aptistæ ca. felionei in materia posseßoria. obstat, quod poßeßio defuncti continuetur in heredem. incip. Magnificus. et ibi post aliud in materia simulationis contractus. Sunt in fi. singularium.* *Franc. cremen.* *Consil.* Iaso. *de* Mayno, *impressum* Romæ. *incipit redemptoris crucifixi. alia plura habentur impressa inter Consilia Alberti Bruni.* *Consilia duo in materia collectarum, habentur in fi. Petri de Vbal. de collectis.* Et *consil.* Troili *Maluitij, in materia amende beneficiorũ.* *Consil. Bert. sonzi. quomodo detrahatur legitima & Trebellianica. & An filia exclusa à statuto faciat numerũ in legitima. incip. Super premißis quæstionibus. est post suam lect. ff. de exeq. rei. iudi.* *Consil.* Io. *Campegij, impressum* Romæ *in iiij. incip. Quidam* Episcopo. *Alia Cõsilia istius habentur inter Consilia* Alberti Bruni.

IO. NEVIZANVS DOC. ASTEN.

Lectori S.

SCIO uagari quędam alia consilia, sed quia repetij etiam ea esse inserta in uoluminibus consiliorum autoris sui, superfluum putaui hic annotare. Nec non & alios plures adesse libros impressos, de quibus notitiam non habui: sed pro nunc puto hos sufficere, quia nec plures inueni, licet rimauerim plures tam ecclesiasticas quàm mercatorias bibliothecas, Romę, Venetijs, Paduę, Bononię, Mediolani, Papię, Taurini, Lugduni, et alibi in hac cisalpina Gallia. Poterit, enim quisq; quotidie addere pro uoto, uel hic in margine, uel alio uolumine, sub hoc ordine, quem puto lectori placiturum.

FINIS.

